

DOCTRINA VITÆ
P R O
NOVA HIEROSOLYMA
E X
PRÆCEPTIS DECALOGI.



AMSTELODAMI:
MDCCLXIII.

> This Page Blank in Original <

DOCTRINA VITÆ PRO
NOVA HIEROSOLYMA EX PRÆCEPTIS DECALOGI

AMSTELODAMI : MDCCLXIII.

English Name:


Doctrine of Life For the New Jerusalem
out of the Precepts of the Decalogue
by Emanuel Swedenborg

Amsterdam:
1763
Latin

This photocopy of the original Latin Edition
is available for FREE use by anyone,
as a courtesy of
The Lord's New Church Which Is Nova Hierosolyma.

www.TheLordsNewChurch.com

We gratefully acknowledge the work of
The Swedenborg Institute Basel, Switzerland,
which made this Swedenborg eBook possible.




DOCTRINA VITÆ

P R O

NOVA HIEROSOLYMA



Quod omnis Religio sit vitæ, & quod vita ejus
sit facere bonum.

1. mnis homo, cui est religio, scit & agnoscit, quod qui bene vivit, salvetur, & quod qui male vivit condemnetur: scit enim & agnoscit, quod, qui bene vivit, bene cogitet, non solum de Deo, sed etiam de proximo, non autem qui male vivit. Vita hominis est ejus amor, & quod homo amat, non modo libenter facit, sed etiam libenter cogitat. Quod itaque dicatur, quod vita sit facere bonum, est quia facere bonum unum agit cum cogitare bonum; quæ si non unum agunt apud hominem, non sunt vitæ ejus. Sed hæc in sequentibus demonstranda sunt.

2. Quod Religio sit vitæ, & quod Vita sit facere bonum, hoc omnis qui legit Verbum videt, & cum legit, agnoscit. In Verbo hæc sunt., Quisquis solverit Præceptorum horum minimum, & docuerit ita homines, minimus vocabitur in Regno Cælorum: qui vero *facit & docet*, hic magnus vocabitur in Regno cælorum. Dico vobis, nisi *Justitia vestra abundaverit super Scribarum & Phariseorum*, non intrabitis in Regnum cælorum., Matth. V. 19 20., Omnis Arbor, quæ non *facit fructum bonum*, excinditur, & in ignem conjicitur; quare ex *fructibus eorum* cognoscetis illos., Matth. VII. 19. 20., Non omnis dicens Mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum cælorum, sed *faciens voluntatem Patris mei*, qui est in Cælis., Matth. VII. 21., Multi dicent Mihi in die illo, Domine, Domine, nonne per Nomen tuum prophetavimus,

& in Nomine tuo multas virtutes fecimus; sed tunc confitebor illis, non novi vos, discedite a Me *Operantes iniquitatem*, Matth. VII. 22. 23., Omnis qui audit verba mea, & *facit illa*, comparabo viro prudenti, qui ædificavit domum suam super petra: at omnis audiens verba mea & *non faciens illa*, comparabitur viro stulto, qui ædificavit domum suam super arena, Matth. VII. 24. 26., Jesus dixit; exivit feminans ad seminandum; femina alia ceciderunt super viam duram; alia in petrosa; alia inter spinas; & alia in terram bonam. Ille qui in terram bonam feminatus, hic est, qui verbum audit & attendit, qui inde *fructura fert* & *facit*, alius centuplum, alius sexagecuplum, & alius trigecuplum: cum hæc dixit Jesus, exclamabat, dicens, qui habet aures ad audiendum audiat, Matth. XIII. 3 ad 9. 23., Venturus est Filius hominis in gloria Patris sui, & tunc *reddet unicuique secundum facta ejus*, Matth. XVI. 27., Auferetur a Vobis Regnum Dei, & dabitur *Genti facienti fructus ejus*, Matth. XXI. 43., Quando venerit Filius hominis in gloria sua, tunc sedebit super throno gloriæ, & dicet ovibus a dextris, venite benedicti, & tanquam hæreditatem possidete paratum vobis regnum a fundatione mundi; *nam esurivi* & *dedistis Mihi quod ederem*, *sitivi* & *potastis Me*, *peregrinus fui* & *collegistis Me*, *nudus fui* & *indulistis Me*, *ægrotus fui* & *visitastis Me*, *in custodia fui* & *venistis ad Me*. Tunc respondebunt justi; quando ita vidimus Te: sed respondens Rex dicet, amen dico vobis, in quantum fecistis uni ex fratribus meis minimis, Mihi fecistis. Et Rex dicet similia ad hircos, qui a sinistris, & quia illi talia non fecerunt, dicet, discedite a Me maledicti in ignem æternum, paratum diabolo, & angelis ejus, Matth. XXV. 31 ad 46., *Facite fructus dignos pœnitentia*, jam jam securis ad radicem arborum jacet; omnis igitur arbor *non faciens fructum bonum*, excinditur & in ignem conjicitur, Luc. III. 8. 9., Jesus dixit, quid Me vocatis Domine, Domine, & *non facitis quæ dico*. Omnis qui venit ad Me, & audit sermones meos, & *facit illos*, similis est homini ædificanti domum, & posuit fundamentum super petra: qui vero audit & non facit, similis est homini ædificanti domum super humo sine fundamento, Luc. VI. 46 ad 49., Jesus dixit, Mater mea & fratres mei hi sunt, qui audiunt verbum Dei & *faciunt illud*, Luc. VIII. 21., Tunc incipietis stare & pulsare januam, dicentes, Domine, aperi nobis; sed respondens dicet illis, non novi vos unde sitis, *discedite a Me omnes operarii iniquitatis*, Luc. XIII. 25 ad 27., Hoc est iudicium, quod Lux venerit in mundum, sed dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, *erant enim opera eorum mala*; omnis *qui mala facit*, odit lucem, ne coarguantur *opera ejus*. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur *opera ejus*, quoniam *in Deo facta sunt*, Joh. III. 19 ad 21., Et exhibunt *qui bona fecerunt*, in resurrectionem iudicii, Joh. V. 29., Scimus quod peccatores Deus non audiat, sed si quis Deum colit, & *voluntatem Ejus facit*, hunc audit, Joh. IX. 31., Si hæc scitis, *beati esis si feceritis illa*, Joh. XIII. 17., Qui habet præcepta, & *facit illa*, ille est qui amat Me, & Ego amo illum, & manifestabo illi Me Ipsum; & ad illum veniam, & mansionem apud illum faciam. Qui non amat Me, *verba mea non servat*, Joh. XIV. 15. 21 ad 24., Jesus dixit. Ego sum Vitis, & Pater meus Vinitor: omnem palmitem

mitem in Me non ferentem fructum, tollit illum; omnem autem palmitem fructum ferentem, putabit illum, ut plus fructus ferat,, Joh. XV. 1. 2., In hoc glorificatus est Pater meus, ut fructum multum feratis, & reddamini discipuli mei,, Joh. XV. 8., Vos amici mei estis, si feceritis quaecunque mando volis: Ego elegi vos, ut fructum feratis, & fructus vester maneat,, Joh. XV. 14. 16., Dominus dixit Johanni, scribe Angelo Ephesinæ Ecclesiæ, novi opera tua: habeo contra te, quod *charitatem* priorem reliqueris; age pœnitentiam, & *priora opera fac*; sin vero, movebo candelabrum tuum e loco ejus,, Apoc. II. 1. 2. 4. 5., Angelo Ecclesiæ Smyrnæorum scribe, *novi op̄ra tua*, Apoc. II. 8., Angelo Ecclesiæ in Pergamo scribe, *novi opera tua, pœnitentiam age*, Apoc. II. 13. 16., Angelo Ecclesiæ in Thyatiris scribe, *novi opera tua & charitatem*; & *opera tua* posteriora plura primis,, Apoc. II. 26., Angelo Ecclesiæ in Sardibus scribe, *novi opera tua*, quod nomen habeas quod vivas, sed mortuus es: *non inveni opera tua perfecta coram Deo, pœnitentiam age*, Apoc. III. 1. 2. 3., Angelo Ecclesiæ quæ in Philadelphia scribe, *novi opera tua*, Apoc. III. 7. 8., Angelo Ecclesiæ Laodicensium scribe, *novi opera tua, age pœnitentiam*, Apoc. III. 14. 15. 19., *Audivi vocem e cœlo dicentem, scribe, beati mortui, qui in Domino moriuntur a nunc: dicit spiritus, ut requiescant ex laboribus suis, Opera illorum sequuntur cum illis*, Apoc. XIV. 13., Liber apertus est, qui est vitæ, & judicati sunt mortui, juxta ea quæ scripta in Libro, *omnes secundum opera illorum*, Apoc. XX. 12. 13., Ecce venio cito, & merces mea Mecum, *ut dem unicuique secundum opus ejus*, Apoc. XXII. 12. Similiter in Veteri Testamento, *Retribue illis juxta opus illorum, & juxta factum manuum illorum*, Jerem. XXV. 14., Jehovah, cujus oculi aperti sunt super omnes vias hominum, *ad dandum cuiusvis secundum vias ejus, & secundum fructum operum ejus*, Jerem. XXXII. 19., *Visitabo secundum vias ejus, & opera ejus* retribuam illi, Hofch. IV. 9., Jehovah *juxta vias nostras, juxta opera nostra* facit nobiscum,, Sach. I. 6. Ac multis in locis, quod statuta, mandata & leges facerent; ut,, *Observabitis statuta mea, & judicia mea, quæ si fecerit homo, vivet per illa*, Levit. XVIII. 5., *Observabitis omnia statuta mea, & judicia mea, ut faciatis illa*, Levit. XIX. 37. Cap. XX. 8. Cap. XXII. 31. *Benedictiones, si fecerint præcepta, & maledictiones si non fecerint*, Levit. XXVI. 4 ad 46. Mandatum filijs Israelis, ut facerent sibi peniculamentum super alis vestium suarum, ut recordarentur omnium præceptorum Jehovah, *ut facerent illa*, Deutr. XXVII. 25; & in mille alijs locis. Quod Opera sint quæ faciunt hominem Ecclesiæ, & quod salvetur secundum illa, docet etiam Dominus in Parabolis, quarum plures involvunt, quod qui bona faciunt acceptentur, & qui mala, rejiciantur; ut in Parabola de Agricolis in Vineâ Matth. XXI. 33 ad 44. De Ficu, quæ non dedit fructum, Joh. XIII. 6 seq. De Talentis & Minis cum quibus negotiarentur, Matth. XXV. 14 ad 31. Luc. XIX. 13 ad 25. De Samarita qui obligavit vulnera fauciati a latronibus, Luc. X. 30 ad 37. De Divite & Lazaro, Luc. XVI. 19 ad 31. De decem Virginibus, Matth. XXV. 1 ad 12.

3. Quod omnis, cui religio est, sciat & agnoscat, quod qui bene vivit salvetur, & qui male vivit condemnatur, est ex conjunctione Cæli cum homine,

qui ex Verbo novit quod Deus sit, quod Cælum & Infernum sint, & quod Vita post mortem sit; inde est communis illa perceptio. Quare in Doctrina fidei Athanasianæ de Trinitate, quæ universaliter in Christiano Orbe recepta est, etiam hoc, quod in fine ejus dicitur, univrsaliter receptum est, nempe,,
 „ Jesus Christus, qui passus est propter Salvationem nostram, ascendit in Cæ-
 „ lum, & sedet ad dextram Patris Omnipotentis, unde venturus est ad judi-
 „ candum vivos & mortuos; *Et tunc illi, qui bona fecerunt, intrabunt in vitam*
 „ *æternam, Et qui mala fecerunt, in ignem æternum.*

4. Sunt tamen in Ecclesiis Christianis multi, qui docent, quod sola fides salvet, & non aliquod bonum vitæ seu bonum opus; hi etiam adjiciunt, quod non malum vitæ seu malum opus condemnet justificatos per solam fidem, quia in Deo & in gratia sunt. Sed mirum est, quod tametsi illi talia docent, usque agnoscant, quod fit ex communi perceptione e Cælo, quod salventur qui bene vivunt, & condemnentur qui male vivunt. Quod usque agnoscant, patet ex ORATIONE, quæ in Templis tam in Anglia, quam in Germania, Suecia & Dania legitur coram populo, qui sacram Cænâ obit. Quod in illis Regnis sint, qui solam illam fidem docent, notum est. ORATIO, quæ in Anglia legitur coram populo qui sacramentum Cænæ obit, est hæc.

5. „ The way and means to be received as worthy partakers of that Holy
 „ Table is First, to examine your lives and Conversations by they rule of Gods
 „ commandiments, and wherein soever ye shall perceive yourselves to have
 „ offended either by will, word or deed, there to bewail your own sinfullnes,
 „ and to confess yourselves to Almighty God, with full purpose of amendment
 „ of life; and if ye shall perceive your offences to be such, as are not only
 „ against God, but also against yours neighbours, then ye shall reconcile
 „ yourselves unto them, being ready to make restitution and satisfaction accor-
 „ ding to the utmost of your power, for all injuries and wrongs done by you
 „ to any other, and being likewise ready to forgive others that have offended
 „ you, as ye would have forgivenes of yours offences of Gods hand, for o-
 „ therwise the receiving of the Holy Communion doth nothing else but encrea-
 „ se your damnation. Therefore if any of you be a blasphemers of God, or
 „ hinderer or slanderer of his word, or adulterer, or be in malice or envy,
 „ or in any other grivous crime, repent you of yours sins, or else come not
 „ to the Holy Table; lest after the taking of that Holy Sacrament the De-
 „ vil enter into you, as he entered into Judas, and fill you with all iniquites,
 „ and bring you to destruction both of body and soul.

6. „ Hæc in Latino sermone ita sunt., Hæc est via & hoc est medium, ut
 „ quis fiat dignus particeps Sanctæ Cænæ: primarium est, ut exploret suæ vi-
 „ tæ facta & commercia secundum normam præceptorum Dei; & in quibus-
 „ cunque animadvertit se offēdisse voluntate aut loquela aut facto, tunc de-
 „ ploret vitiosam suam naturam, & confessionem faciat coram Omnipotente
 „ Deo, cum pleno proposito emendandi vitam; & si animadvertit offēdas
 „ tales esse, ut non modo sint contra Deum, sed etiam contra proximum,
 „ tunc reconciliabit se illi, & promptus erit ad restitutionem & satisfactionem

„ ex

„ ex omni potentia sua, propter injurias & malâ alicui facta; & similiter promptus erit ad remittendum aliis offensas, quemadmodum vult ut offensæ suæ remittantur a Deo: alioquin receptio Sanctæ Communionis non facit nisi quam aggravet damnationem. Quapropter si quis vestrum est blasphemator Dei, obtrectator aut fugillator Verbi Ipsius, aut adulter, aut in malitia vel in malevolentia, aut in aliquo alio enormi crimine, pœnitentiam a peccatis age; si non, ad Sanctam Cœnam ne accedas; alioquin post receptionem ejus diabolus intraturus est in te, sicut intravit in Judam, & impleturus te omni iniquitate, & destructurus & corpus & animam.

7. Datum est interrogare aliquos Presbyteros Angliæ, qui solam fidem confessi sunt & prædicaverunt, quod factum est in Mundo Spirituali, num quando in Templis prælegerunt illam Orationem, in qua non nominatur fides, crediderint quod ita sit, ut quod si mala faciunt, & non pœnitentiam agant, diabolus intraturus in illos sicut in Judam, & destructurus illorum & corpus & animam, dixerunt, quod in illo statu, in quo fuerunt, cum prælegerunt Orationem, non aliud sciverint & cogitaverint, quam quod illa essent ipsa religio; sed quod cum sermones suos seu prædicationes concinnarent & elimarent, non similiter cogitaverint, quia de fide, quod esset unicum medium salutis, & de bono vitæ quod esset accessorium morale pro bono publico. Sed usque convicti sunt, quod etiam illis communis perceptio esset, quod qui bene vivit salvetur, & qui male vivit condemnetur, & quod hæc perceptio illis sit, quando non in suo proprio sunt.

8. Quod omnis Religio sit vitæ, est quia unusquisque post mortem est sua vita, manet enim eadem, quæ ei fuerat in mundo, & non mutatur, mala enim vita in bonam non potest converti, nec bona in malam, quia oppositæ sunt, & conversio in oppositum est extinctio: quare quia oppositæ sunt, vita bona vocatur vita, & vita mala vocatur mors. Inde est quod Religio sit vitæ, & quod vita sit bonum facere. Quod homo sit post mortem qualis ejus vita fuerat in mundo, videatur in Opere de CÆLO ET INFERNŌ, n. 470 ad 484.

Quod nemo possit bonum facere, quod bonum est, a se.

9. **Q**uod hætenus vix aliquis sciat, num bonum quod facit sit a se, vel a Deo, est causa, quia Ecclesia separavit fidem a charitate, & bonum est charitatis; homo dat pauperibus, opitulatur egenis, impendit Templis & Xenodochiis, consulit Ecclesiæ, Patriæ & Concivi, sedule invisit Templum, tunc devote auscultat & orat, Verbum & Libros pietatis legit, & cogitat de salute, & non scit num illa faciat a se vel a Deo: eadem potest facere ex Deo, & potest facere ex se; si illa ex Deo facit, bona sunt, si ex se, non bona sunt. Imo dantur similia bona ex se, quæ exstanter mala sunt, ut sunt bona hypocritica, quæ deceptorica & fraudulenta.

10. Bona ex Deo & ex se, possunt comparari auro: Aurum quod ab intimo

mo aurum, & vocatur aurum obryzum, hoc bonum aurum est: Aurum commixtum argento est quoque aurum, sed bonum secundum commixtionem; minus autem Aurum commixtum cupro. At Aurum arte factum, & simile auro ex colore, non est bonum, non enim substantia auri in eo est. Datur etiam Auratum, ut auratum argentum, cuprum, ferrum, stannum, plumbum, tum auratum lignum & auratus lapis, quæ superficietenus etiam possunt apparere sicut aurum, sed quia non sunt aurum, æstimantur vel secundum artem, vel secundum pretium aurati, vel secundum pretium auri quod abradi potest; hæc bonitate differunt ab ipso auro, sicut vestis ab homine. Potest etiam lignum putidum & scoria, imo fimus, induci auro; hoc aurum est, quod cum bono Pharisæico comparabile est.

11. Homo ex scientia novit, num aurum in substantia bonum est, num commixtum & falsificatum, & num inductum, sed non ex scientia novit, num bonum quod facit in se bonum est; hoc solum novit, quod bonum a Deo bonum sit, & quod bonum ab homine non bonum sit: quare quia interest saluti scire, num bonum quod facit a Deo sit, vel num a Deo non sit, ideo revelandum est; sed antequam revelatur, dicetur aliquid de Bonis.

12. Datur Bonum civile, Bonum morale, & Bonum spirituale. Bonum civile est quod homo facit ex Lege civili, per id bonum & secundum id est homo civis in Mundo naturali: Bonum morale est quod homo facit ex Lege rationali, per id bonum & secundum id est ille homo: Bonum Spirituale est quod homo facit ex Lege spirituali, per id bonum & secundum id est homo civis in Mundo Spirituali. Hæc Bona sequuntur in hoc ordine; Bonum spirituale est supremum, Bonum morale est medium, & Bonum civile est ultimum.

13. Homo, cui est Bonum spirituale, est homo moralis & quoque homo civilis; at homo, cui non est Bonum spirituale, apparet sicut sit homo moralis & civilis, sed usque non est. Quod homo, cui est Bonum spirituale, sit homo moralis & civilis, est quia Bonum spirituale essentiam boni in se habet, & ex illo Bonum morale & civile: essentia boni non potest dari aliunde, quam ab Ipso, Qui est Ipsum Bonum: effunde cogitationem quaquaversum, intende, & inquire, unde Bonum est bonum, & videbis quod sit a suo Esse, & quod id sit Bonum quod Esse boni in se habet, consequenter quod id sit Bonum, quod est ab Ipso Bono, ita a Deo; consequenter quod Bonum non a Deo, sed ab homine, non bonum sit.

14. Ex illis quæ in DOCTRINA de SCRIPTURA SACRA, n. 27. 28. 38, dicta sunt, videri potest, quod Supremum, Medium & Ultimum faciant unum, sicut Finis, Causa & Effectus, & quod quia faciunt unum, ipse finis dicatur finis primus, causa finis medius, & effectus finis ultimus: inde patebit, quod apud hominem, cui Bonum spirituale est, morale apud illum sit Spirituale medium, ac quod civile sit Spirituale ultimum. Inde nunc est, quod dictum sit, quod homo, cui est Bonum Spirituale, sit homo moralis & homo civilis; & quod homo, cui non est Bonum spirituale, non sit homo moralis, nec civilis, sed quod modo appareat sicut sit. Apparet sibi & quoque aliis.

15. Quod homo, qui non Spiritualis est, usque possit rationaliter cogitare &

& inde loqui, sicut Spirituales homo, est quia Intellectus hominis potest elevari in lucem cæli, quæ est veritas, & ex illa videre; sed Voluntas hominis non potest similiter elevari in calorem cæli, qui est amor, & ex illo facere. Inde est, quod Veritas & Amor non unum faciant apud hominem, nisi Spirituales sit; inde etiam est quod homo possit loqui; hoc etiam facit discrimen inter hominem & inter bestiam: per hoc quod Intellectus possit elevari in Cælum, cum adhuc non Voluntas, est quod homo possit reformari & spiritualis fieri, sed tunc primum reformatur & spiritualis fit, quando etiam voluntas elevatur. Ex illa dote Intellectus præ dote Voluntatis, est, quod homo, qualiscunque sit, etiam malus, possit rationaliter cogitare & inde loqui, sicut spiritualis; sed quod non usque rationalis sit, est quia Intellectus non ducit Voluntatem, sed Voluntas Intellectum. Intellectus modo docet & monstrat viam, ut in DOCTRINA DE SCRIPTURA SACRA n. 115, dictum est; & quamdiu Voluntas non una cum Intellectu est in Cælo, homo non est spiritualis, & inde nec rationalis; nam cum relinquitur suæ Voluntati seu suo Amori, tunc rationalia intellectus sui de Deo, de Cælo, & de Vita æterni, ejicit, & loco illorum assumit talia, quæ cum Voluntatis ejus amore concordant, & illa vocat rationalia. Sed hæc videnda erunt in Transactionibus de SAPIENTIA ANGELICA.

16. In sequentibus illi qui bonum faciunt a se, dicemur homines Naturales, quoniam Morale & Civile apud illos quoad essentiam est Naturale: at illi, qui bonum faciunt a Domino, dicentur homines Spirituales, quoniam Morale & Civile apud illos quoad essentiam est Spirituale.

17. Quod nemo possit facere aliquod bonum quod bonum est, a se, docet Dominus apud Johannem, *Homo non potest sumere quicquam, nisi sit datum illi e Cælo*, III. 27. & apud Eundem, *Qui manet in Me, & Ego in illo, hic fert fructum multum: quia sine Me non potestis facere quicquam*, XV. 5; qui manet in Me & Ego in illo, hic fert fructum multum, est quod a Domino sit omne bonum, fructus est bonum; sine Me non potestis facere quicquam, est quod nemo id possit facere a se. Illi qui credunt in Dominum, & bonum faciunt ab Ipso, vocantur *Filii lucis*, Joh. XII. 36. Luc. XVI. 8. *Filii nuptiarum*, Marc. II. 19. *Filii resurrectionis*, Luc. XX. 36. *Filii Dei*, Luc. XX. 36 Joh. I. 12. *Ex Deo nati*, Joh. I. 13. *Quod Deum visuri sint*, Matth. V. 8. *Quod Dominus in seipsum apud illos facturum sit*, Joh. XIV. 23. *Quot fidem Dei habeant*, Marc. XII. 22. *Quod opera illorum sint a Deo facta*, Joh. III. 21. Hæc in summa sunt in his verbis, *Quotquot receperunt Jesum, dedit illis potestatem ut filii Dei essent, credentibus in Nomen Ipsi; qui non ex sanguinibus, neque e voluntate carnis, neque e voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*, Joh. I. 12. 13; credere in Nomen Filii Dei, est credere Verbum, & vivere secundum id; voluntas carnis est proprium voluntatis hominis, quod in se est malum, & voluntas viri est proprium intellectus ejus, quod in se est falsum ex malo: nati ex illis, sunt qui ex proprio volunt & faciunt, ac cogitant & loquuntur; nati a Deo sunt qui illa ex Domino. In summa, quod non bonum sit quod ab homine, sed quod bonum sit quod a Domino.

Quod quantum homo fugit mala ut peccata,
tantum faciat bona non a se, sed a Domino.

18. **Q**uis non scit & scire potest, quod mala impediunt, quin Dominus ac hominem intrare possit; Malum enim est Infernum, & Dominus est Cælum, ac Infernum & Cælum opposita sunt, quantum itaque homo est in uno, tantum non potest esse in altero; unum enim agit contra alterum, & destruit.

19. Homo, quamdiu est in Mundo, in medio est inter Infernum & Cælum; infra est Infernum & supra est Cælum, & tunc tenetur in Libero convertendi se aut ad Infernum aut ad Cælum; si se convertit ad Infernum, avertit se a Cælo, si autem convertit se ad Cælum avertit se ab Inferno. Seu quod idem est; homo, quamdiu est in mundo, in medio stat inter Dominum & diabolum ac tenetur in Libero convertendi se aut ad unum aut ad alterum, si se convertit ad diabolum, se avertit a Domino, si autem convertit se ad Dominum, avertit se a diabolo. Seu quod idem est; homo, quamdiu in mundo est, in medio est inter malum & bonum, & tenetur in Libero convertendi se aut ad unum aut ad alterum, si se convertit ad malum avertit se a bono, si autem convertit se ad bonum avertit se a malo.

20. Dicitur, quod homo teneatur in Libero convertendi se huc illuc; hoc Liberum est cuius homini non ab ipso, sed a Domino, quare dicitur quod teneatur in illo. De Æquilibrio inter Cælum & Infernum, & quod homo sit in illo, & inde in Libero, videatur in Opere de CÆLO ET INFERNO n. 589 ad 596 & n. 597 ad 603. Quod quivis homo in Libero teneatur, & quod id nemini auferatur, videbitur in suo loco.

21. Ex his manifeste patet, quod quantum homo fugit mala, tantum apud Dominum & in Domino sit, & quantum in Domino est, tantum faciat bona non a se, sed a Domino. Inde hæc communis Lex resultat; QUOD QUANTUM QUIS FUGIT MALA, TANTUM FACIAT BONA.

22. Sed duo Requisita sunt; Unum, quod homo fugere debeat mala quia peccata sunt, hoc est, quia sunt Infernalibus & Diabolicis, ita contra Dominum & contra Leges Divinas: Alterum, quod homo debeat fugere mala ut peccata sicut ab seipso, sed sciat & credat quod a Domino. Sed de hoc & de illo Requisito dicetur in Articulis subsequentiis.

23. Ex his sunt Tria hæc Consequentia I. Quod si homo bona vult & facit, antequam fugit mala ut peccata, bona non sint bona. II. Quod si homo pia cogitat & loquitur, & non fugit mala ut peccata, pia non sint pia. III. Quod si homo scit & sapit multa, & non fugit mala ut peccata, usque non sapiat.

24. I. *Quod si homo bona vult & facit, antequam fugit mala ut peccata, bona non sint bona*, est quia non prius est in Domino. ut supra dictum est: prout si det pauperibus, opem ferat egenis, impendat Templis & Hospitalitiis, benefaciat Ecclesiæ, Patriæ & concivibus, doceat Evangelium & convertat, agat justitiam

tiam in judiciis, sinceritatem in negotiis, & rectitudinem in operis; & tamen mala ut peccata nihili facit, sicut fraudes, adulteria, odia, blasphemias, & similia alia, tunc non aliter potest facere bona, quam quæ intus mala sunt, facit enim illa ex se, & non ex Domino, ita est ipse in illis, & non Dominus, & bona, in quibus ipse homo est, sunt omnia conspurcata malis ejus. & spectant ipsum & mundum. Attamen eadem illa facta, quæ supra recensita sunt, interius bona sunt, si homo fugit mala ut peccata, prout fraudes, adulteria, odia, blasphemias, & similia alia; facit enim illa a Domino; & vocantur *in Deo facta*, Joh. III. 19. 20. 21.

25. II. *Quod si homo pia cogitat & loquitur, & non fugit mala ut peccata, pia non sunt pia*, est quia non est in Domino; ut si frequentat Tempia, devote auscultat prædicationes, legit Verbum & pietatis libros, obit sacramentum cænæ, quotidie fundit preces, imo si multum cogitat de Deo, & de salute, & tamen mala, quæ sunt peccata, nihili facit, ut fraudes, adulteria, odia, blasphemias, & similia alia, tunc non potest aliter cogitare & loqui pia, quam quæ intus non pia sunt, nam ipse homo cum malis suis est in illis; hæc quidem tunc nescit, sed tamen inibi sunt, & coram illo latent; est enim sicut fons, cujus aqua est impura ex vena. Exercitia pietatis ejus vel sunt modo solennia ex habitu, vel sunt meritoria, vel sunt hypocritica: ascendunt quidem versus cælum, sed reflectunt se in via & decidunt, sicut fumi in aere.

26. Datum est videre & audire multos post mortem, qui enumeraverunt bona sua opera, & pietatis exercitia, quæ nunc supra n. 24. 25 memorata sunt, & plura adhuc: inter illos etiam vidi quosdam habere lampades & non oleum: at inquisitum est num fugerint mala ut peccata, ac inventi, quod non, quare illis dictum est, quod mali sint; visi etiam postea intrare cavernas, ubi similes mali erant.

27. III. *Quod si homo scit & sapit multa, & non fugit mala ut peccata, usque non sapiat*, est ex simili causa, de qua prius, quod sapiat a se & non a Domino; prout si sciat doctrinam Ecclesiæ suæ, & omnia ejus ad amussim; si sciat confirmare illa per Verbum & per ratiociniam; si sciat Doctrinas omnium Ecclesiarum a sæculis, & simul edicta omnium Conciliorum; imo si sciat veritates, & quoque videat & intelligat illas, ut si sciat quid Fides, quid Charitas, quid Pietas, quid Pœnitentia & Remissio peccatorum, quid Regeneratio, quid Baptismum & sacra Cœna, quid Dominus, & quid Redemptio & Salvatio; is usque non sapit si non fugit mala ut peccata, sunt enim cognitiones absque vita, quia modo intellectus ejus & non simul voluntatis ejus sunt, & quæ talia sunt, tempore pereunt, ex causa, de qua supra n. 15; post mortem etiam ipse homo ejicit illa, quia cum amore voluntatis ejus non concordant. Sed usque cognitiones maxime necessariæ sunt, quia illæ docent quomodo homo faciet, & cum facit illas, tunc apud illum vivunt; non prius.

28. Hæc omnia, quæ hæctenus dicta sunt, Verbum multis in locis docet; ex quibus sequentia modo adducentur. Verbum docet quod nemo possit in bono esse & simul in malo, seu quod idem, quod nemo possit quoad animam in Cælo esse & simul in Inferno: docet hoc in his,, *Nemo potest duobus Dominis*

servire, nam aut unum odio habebit, & alterum amabit, aut uni adhærebit, & alterum contemnet: non potestis Deo servire & mammonæ, Matth. VI. 24., Quomodo potestis bona loqui, cum mali estis; ex abundantia cordis os loquitur; bonus homo ex bono thesauro cordis sui emittit bona, & malus homo ex malo thesauro emittit mala., Matth. XII. 34. 35., Arbor bona non facit fructum malum, neque arbor mala facit fructum bonum: omnis arbor ex proprio fructu cognoscitur; non enim ex spinis colligunt ficus, neque ex rubo vindemiant uvam., Luc. VI. 43 44.

29. Verbum docet, quod nemo possit bonum facere a se, sed a Domino; Dixit Jesus, Ego sum Vitis, & Pater meus Vinitor: omnem palmitem in Me non ferentem fructum, tollit illum: omnem autem fructum ferentem, putabit illum, ut plus fructus ferat. Manete in Me etiam Ego in vobis: quemadmodum palmes non potest ferre fructum a se ipso, nisi manserit in vite, ita neque vos, nisi in Me manseritis. Ego sum Vitis, vos palmites; qui manet in Me, & Ego in illo, hic fert fructum multum; quia sine Me, non potestis facere quicquam. Nisi quis manserit in Me, ejectus est foras sicut palmes, & arefactus est, & colligunt illum, & in ignem conjiciunt, & comburitur., Joh. XV. 1 ad 6.

30. Verbum docet, quod quantum homo non purificatus est a malis, bona ejus non sint bona, nec pia ejus sint pia, nec sapiat; & vicissim; in his., Væ vobis Scribæ & Pharisei, hypocritæ, quia similes vos facitis sepulchris dealbatis, quæ foris quidem apparent pulchra, intus vero plena sunt ossibus mortuorum & omni immunditie: sic etiam, vos foris quidem apparetis justi, intus vera pleni estis hypocrisis & iniquitate. Væ vobis, quia purgatis exterius poculi & patinæ, interiora vero plena sunt rapina & intemperantia. Pharisee cæce, purga prius interius poculi & patinæ, ut fiat etiam exterius mundum, Matth. XXIII. 25 ad 28. Tum ex his apud Esajam., Audite verbum Jehovæ principes Sodomæ, audite legem Dei nostri, popule Gomorrhæ: quid Mibi multitudo sacrificiorum vestrorum, ne addite adducere mincham vanitatis; suffitus abominatio Mibi est, novilunium & sabbatum, non possum ferre iniquitatem: novilunia & festa stata vestra odit anima mea; unde quando expanditis manus vestras, occulto oculos meos a vobis; etiam si multiplicatis orationem, non Ego audiens; manus vestræ sanguinibus plenæ sunt. Lavate vos, purificate vos, removete malitiam operum vestrorum a coram oculis meis, cessate malum facere: si fuerint peccata vestra sicut coccinea, sicut nix albescent, si rubra fuerint, sicut lana erunt., I. 10 ad 18; hæc in summa sunt, quod nisi homo fugit mala, omnia cultus ejus non bona sint, similiter omnia ejus opera, nam dicitur, non possum ferre iniquitatem, purificate vos, removete malitiam operum vestrorum, cessate malum facere. Apud Jeremiam., Revertimini quisque a via sua mala, & bona redite opera vestra., XXXV. 15.

Quod iidem nec sapiant; apud Esajam., Væ sapientibus in oculis suis, & coram faciebus suis intelligentibus., V. 21. Apud Eundem., Peribit sapientia sapientium, ac intelligentia intelligentium: væ illis qui profunde sapiunt, & fiunt in tenebris opera illorum., XXIX. 14. 15: & alibi apud Eundem., Væ descendantibus in Ægyptum pro auxilio, & super equis innituntur, & confidunt super curru quod multus, & super equitibus quod validi sint, sed non respiciunt ad Sanctum Israelis, & Jehovam non quærunt. Sed surget contra domum malignorum, & contra auxilium o-
peran-

perantium iniquitatem: nam Ægyptus non Deus, & Equi ejus caro non spiritus,, XXXI. 1. 2. 3; ita describitur propria intelligentia; Ægyptus est scientia; equus est intellectus inde; currus est doctrina inde; eques est intelligentia inde, de quibus dicitur, væ illis, qui non respiciunt ad Sanctum Israelis, & Jehovam non quærunt: destructio eorum per mala, intelligitur per surget contra domum malignorum, & contra auxilium operantium iniquitatem: quod illa sint ex proprio, & ideo non in illis vita, intelligitur per quod Ægyptus homo & non Deus, & quod equi ejus caro & non spiritus, homo & caro sunt proprium hominis, Deus & Spiritus sunt vita a Domino; equi ægypti sunt propria intelligentia. Talia sunt plura in Verbo de Intelligentia a se, & de Intelligentia a Domino, quæ modo per sensum spiritualem patent.

Quod nemo salvetur per bona a se, quia non sunt bona, patet ex his, *Non omnis dicens Mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum cælorum, sed faciens voluntatem Patris mei: multi dicent Mihi in die illo, Domine, Domine, nonne per Nomen tuum prophetavimus, & per Nomen tuum dæmonia ejecimus, & in Nomine tuo multas virtutes fecimus, sed tunc confitebor illis, non novi vos, discedite a Me OPERANTES INIQUITATEM,, Matth. VII. 21. 22. 23. Et alibi,, Tunc incipietis foris stare, & pulsare januam, dicentes, Domine aperi nobis; & incipietis dicere, edimus coram Te, & bibimus, & in plateis nostris decuisti; sed dicet, dico vobis, non novi vos unde sitis, discedite a Me omnes OPERARII INIQUITATIS,, Luc. XIII. 25. 26. 27. Similes enim sunt Pharisæo, qui in Templo stans orabat, dicens quod non esset sicut reliqui homines, rapax, injustus, mæchus, quod jejunaret bis in septimana, & daret decimas omnium quæ possidebat,, Luc. XVIII. 11 ad 14. sunt etiam illi qui vocantur inutiles servi,, Luc. XVII. 10.*

31. Veritas est, quod nullus homo possit facere bonum a se, quod bonum est; sed per id destruere omne bonum charitatis, quod homo, qui fugit mala ut peccata, facit, est enorme, est enim e diametro contra Verbum, quod mandat quod homo faciet; est contra præcepta amoris in Deum, & amoris erga proximum, a quibus mandatis Lex & Prophetæ pendent; & est sugillare & supplantare omne religionis; unusquisque enim scit, quod religio sit bonum facere, & quod quisque secundum facta judicetur. Omnis homo talis est, ut possit fugere mala sicut a seipso ex potentia Domini, si illam imploret, & quod postea facit, est bonum a Domino.

*Quod quantum quis fugit mala ut peccata,
tantum amet vera.*

32. **S**unt duo Universalia, quæ procedunt a Domino, Divinum Bonum & Divinum Verum, Divinum Bonum est Divini Amoris Ipsius, & Divinum Verum est Divinæ Sapientiæ Ipsius; illa Duo in Domino unum sunt, & inde ut Unum procedunt ab Ipso; sed non ut Unum recipiuntur ab angelis in Cælis, & ab hominibus in terris; sunt angeli & homines, qui plus ex Divino Vero recipiunt quam ex Divino Bono, & sunt qui plus ex Divino Bono

quam ex Divino Vero; inde est, quod Cæli in duo Regna distinguantur, quorum unum vocatur Regnum Cæleste, alterum Regnum Spirituale; Cæli qui plus ex Divino Bono recipiunt, constituunt Regnum Cæleste, qui autem plus ex Divino Vero, constituunt Regnum spirituale; de Binis his Regnis, in quæ Cæli distincti sunt, videatur in Opere de CÆLO ET INFERNŌ n. 20 ad 28. Sed usque Angeli omnium Cælorum tantum in sapientia & intelligentia sunt, quantum bonum apud illos unum facit cum vero; bonum quod non unum facit cum vero, hoc illis non est bonum, vicissim etiam verum quod non unum facit cum bono, hoc illis non est verum: inde patet, quod bonum conjunctum vero faciat amorem & sapientiam apud angelum & apud hominem; & quia angelus est angelus ex amore & sapientia apud illum, similiter homo, patet, quod bonum conjunctum vero faciat ut angelus sit angelus cæli, & quod homo sit homo Ecclesiæ.

33. Quoniam Bonum & Verum unum sunt in Domino, ac ut unum procedunt ab Ipso, sequitur quod bonum amet verum, & verum amet bonum, ac velint unum esse. Similiter oppositum illorum, quod malum amet falsum, & falsum malum, ac velint unum esse. Conjunctio boni & veri in sequentibus vocabitur Conjugium cæleste, & conjunctio mali & falsi Conjugium infernale.

34. Horum consequens est, quod quantum quis fugit mala ut peccata, tantum amet vera, tantum enim in bono est, ut in mox præcedente Articulo ostensum est. Tum vicissim, quod quantum quis non fugit mala ut peccata, tantum non amet vera, quia tantum non in bono est.

35. Potest quidem homo, qui non fugit mala ut peccata, amare vera, sed non amat illa quia vera sunt, sed quia inserviunt famæ, ex qua ei honor aut lucrum, quare si non inserviunt, non amat illa.

36. Bonum est voluntatis, verum est intellectus, ab amore boni in voluntate procedit amor veri in intellectu, ab amore veri procedit perceptio veri, a perceptione veri cogitatio veri, ex illis est agnitio veri, quæ est Fides in suo genuino sensu; quod hæc progressio ab amore boni ad fidem sit, demonstrabitur in Transactione de DIVINO AMORE & DIVINA SAPIENTIA.

37. Quoniam bonum non est bonum nisi sit conjunctum vero, ut dictum est, consequenter bonum non prius existit, & tamen continue vult existere. quare ut existat, desiderat & comparat sibi vera, ex his est nutritio ejus & formatio ejus: hæc causa est, quod quantum quis in bono est, tantum amet vera, proinde quantum quis fugit mala ut peccata, nam tantum in bono est.

38. Quantum quis in bono est, & ex bono amat vera, tantum amat Dominum, quoniam Dominus est Ipsum Bonum & Ipsum Verum; est itaque Dominus apud hominem in bono & in vero, si hoc ex illo amatur, tunc Dominus amatur, & non aliter. Hoc Dominus docet apud Johannem, *Qui habet præcepta mea & facit illa, ille est qui amat Me; qui vero non amat Me, verba mea non servat*, XIV. 21. 24: & alibi, *Si mandata mea servaveritis, manebitis in amore meo*, Joh. XV. 10; præcepta, verba & mandata Domini sunt vera.

39. Quod bonum amet verum, illustrari potest per comparationes cum Sacerdote, Milite, Negotiatore & Artifice: cum SACERDOTE; ille, si in bono

Sacer-

Sacerdotii est, quod est prospicere salutem animarum, docere viam ad cælum, ac ducere quos docet; is sicut est in illo bono, ita ex amore & ejus desiderio comparat sibi vera quæ doceat, & per quæ ducat. Sacerdos autem, qui non in bono Sacerdotii est, sed in jucundo functionis suæ ex amore sui & mundi, quod solum illi bonum est; ille etiam ex amore & ejus desiderio comparat sibi illa in copia secundum jucundum, quod est ejus bonum, inspirans. Cum MILITE: si in amore militiæ est, ac in tutela aut in fama sentit bonum, is ex bono hoc & secundum id comparat sibi scientiam ejus, & si præfectus est, intelligentiam ejus: hæc sunt sicut vera, ex quibus jucundum amoris, quod est bonum ejus, nutritur & formatur. Cum NEGOTIATORE; si se addixerat negotio ex amore ejus, is haurit cum voluptate omnia, quæ ut media illum amorem ingrediuntur & componunt: hæc quoque sunt sicut vera, cum negotiatio est bonum ejus. Cum ARTIFICE; si studio incumbit suæ operæ, & illam amat ut bonum suæ vitæ, is emit instrumenta, & per talia quæ sunt scientiæ ejus, perficit se, per hæc facit opus suum ut sit bonum. Ex his patet, quod vera sint media, per quæ bonum amoris existit, & fit aliquid; consequenter, quod bonum amet vera ut existat. Inde in Verbo per Veritatem facere, intelligitur facere ut bonum existat: hoc intelligitur per *Veritatem facere*, Joh. IV. 21. *Sermones Domini facere*, Luc. VI. 5. *Præcepta Ipsius facere*, Joh. XIV. 24. *Verba Ipsius facere*, Matth. VII. 20. *Verbum Dei facere*, Luc. VIII. 21. Ac *Statuta & Judicia facere*, Levit. XVII. 5. Hoc quoque est *bonum & fructum facere*, nam bonum & fructus est id quod existit.

40. Quod bonum amet verum, & velit cum illo conjungi, illustrari etiam potest per comparisonem cum Cibo & Aqua, seu cum Pane & Vino, unum & alterum erit, cibus aut panis solus non facit aliquid in corpore ad nutritionem sed cum aqua aut vino; quare unum appetit & desiderat alterum. Per Cibus & Panem etiam in Verbo in sensu ejus spirituali intelligitur Bonum, ac per Aquam & Vinum intelligitur Verum.

41. Ex dictis nunc constare potest, quod qui fugit mala ut peccata, amet vera ac desideret illa, & quo plus fugit, eo plus amet & desideret, quia eo plus in bono est. Inde venit in Conjugium cæleste, quod est Conjugium boni & veri, in quo est Cælum, & in quo erit Ecclesia.

Quod quantum quis fugit mala ut peccata,
tantum fidem habeat, & spiritualis sit.

42. Fides & Vita inter se distinctæ sunt, sicut cogitare & facere, & quia cogitare est Intellectus, & facere est Voluntas, sequitur quod Fides & Vita inter se distinctæ sint, sicut Intellectus & Voluntas; qui scit distinctionem harum, ille etiam scit distinctionem illorum; & qui scit conjunctionem harum, ille etiam scit conjunctionem illorum; quare præmittendum est aliquid de Intellectu & Voluntate.

43. Sunt homini binæ Facultates, quarum una vocatur VOLUNTAS, & altera

ra INTELLECTUS; illæ inter se distinctæ sunt, sed ita creatæ, ut unum sint, & cum unum sunt, vocantur *Mens*; quare *Mens* humana illæ sunt, & omnis vita hominis ibi. Sicut omnia in universo quæ secundum ordinem Divinum sunt, se referunt ad Bonum & Verum, ita omnia apud hominem ad Voluntatem & Intellectum, nam Bonum apud hominem est ejus Voluntatis, & Verum apud illum est ejus Intellectus; sunt enim hæc binæ Facultates receptacula & subjecta illorum, Voluntas est receptaculum & subjectum omnium boni, ac Intellectus est receptaculum & subjectum omnium veri; bona & vera apud hominem non alibi sunt, ita non Amor & Fides sunt alibi, quoniam Amor est boni & Bonum est amoris, ac Fides est veri & Verum est fidei. Nihil magis interest scire, quam quomodo Voluntas & Intellectus unam Mentem faciunt; faciunt unam Mentem, sicut Bonum & Verum faciunt unum; est enim simile conjugium inter Voluntatem & Intellectum, quale est inter bonum & verum: quale hoc conjugium est, aliquantum in præcedente Articulo dictum est; cui hoc addendum est, quod sicut Bonum est ipsum Esse rei, ac Verum est Existere rei inde, ita Voluntas apud hominem est ipsum Esse vitæ ejus, ac Intellectus Existere vitæ inde; nam Bonum, quod est Voluntatis, se in Intellectu format, & certo modo se sistit videndum.

44. Quod homo possit multa scire, cogitare, & intelligere, & tamen non sapere, supra n. 27. 28, ostensum est, & quia fidei est scire & cogitare, & magis adhuc intelligere quod ita sit, ita potest homo credere quod fidem habeat, & tamen non habet; causa quod non habeat, est quia in malo vitæ est, ac malum vitæ & verum fidei nusquam possunt unum agere; malum vitæ destruit verum fidei, quia malum vitæ est voluntatis, & verum fidei est intellectus, ac voluntas ducit intellectum, ac facit ut unum secum agat; quare si aliquid in intellectu est quod non concordat cum voluntate, hoc quando homo sibi relictus est, & ex suo malo & ejus amore cogitat, tunc verum, quod est in intellectu, vel ejicit, vel cogit ut unum sit per falsificationem. Aliter apud illos qui in bono vitæ sunt, hi sibi relictæ ex bono cogitant, & verum, quod in intellectu est, amant, quia concordat: ita fit conjunctio fidei & vitæ, sicut est conjunctio veri & boni, atque hæc & illa sicut est conjunctio intellectus & voluntatis.

45. Ex his nunc sequitur; quod sicut homo fugit mala ut peccata, ita fidem habeat, quia ita in bono est, ut supra ostensum: hoc confirmatur etiam ex suo contrario, quod qui non fugit mala ut peccata, non fidem habeat, quia in malo est, ac malum intrinsecus odit verum; extrinsecus quidem potest ejus amicum agere, ac sufferre, imo amare ut in intellectu sit; at cum extrinsecum exiit, quod fit post mortem, tunc verum suum amicum in mundo primum ejicit, postea negat quod verum sit, & demum averfatur.

46. Fides hominis mali est fides intellectualis, cui nihil boni ex voluntate inest, ita est fides mortua, quæ est sicut spiratio pulmonaris absque anima ejus ex corde; intellectus etiam correspondet pulmone, & voluntas cordi. Est quoque sicut pulchra meretrix, etiam ornata purpura & auro, quæ interius maligna tabe scatet; meretrix etiam correspondet falsificationi veri, & inde in Verbo

bo significat illam. Est etiam sicut arbor luxurians foliis, & non dans fructus, quam hortulanus excindit; etiam arbor significat hominem, folia & flores ejus vera fidei, & fructus bonum amoris. Alia vero est fides in intellectu, cui bonum ex voluntate inest; hæc fides est viva; & est sicut respiratio pulmonaris, cui anima est ex corde; & est sicut pulchra uxor amabilis viro ex castitate: & est sicut arbor fructifera.

47. Plura sunt quæ apparent solius fidei esse, sicut quod Deus sit, quod Dominus qui Deus sit Redemptor & Salvator, quod Cælum & Infernum sint, quod Vita post mortem sit, & plura alia, de quibus non dicitur quod facienda, sed quod credenda; hæc fidei etiam mortua sunt apud hominem qui in malo est, sed viva apud hominem qui in bono est. Causa est, quia homo qui in bono est, non modo facit bene ex voluntate, sed etiam cogitat bene ex intellectu, non solum coram mundo, sed etiam coram se cum solus est: aliter qui in malo est.

48. Dicitur est, quod illa appareant solius fidei esse; sed cogitatio intellectus trahit suum existere ex amore voluntatis, qui est esse cogitationis in intellectu, ut supra n. 43 dicitur est; quod enim quis ex amore vult, hoc vult facere, vult cogitare, vult intelligere, & vult loqui, seu quod idem, quod quis ex voluntate amat, hoc amat facere, amat cogitare, amat intelligere, & amat loqui. Accedit, cum homo fugit malum ut peccatum, tunc ille in Domino est, ut supra ostensum, & Dominus operatur omnia: quare Dominus ad interrogantes Ipsum, *quid facerent ut operarentur opera Dei, dixit, hoc opus Dei est, ut credatis in Ipsum, quem misit Ille,* Joh. VI. 28; credere in Dominum, non est modo cogitare quod Ipse sit, sed etiam est facere verba Ipsius, ut alibi docet.

49. Quod qui in malis sunt, non fidem habeant, utcunque putant se habere, ostensum est apud tales in Mundo spirituali: deducti sunt in Societatem cælestem, unde Spirituale fidei Angelorum intravit in interiora fidei illorum qui eo deducti sunt, ex quo hi perceperunt, quod illis modo naturale seu externum fidei esset, & non spirituale seu internum ejus; quare ipsi confessi sunt, quod prorsus nihil fidei haberent, & quod persuaserint sibi in mundo, quod cogitare quod ita sit ex omni causa, esset credere seu fidem habere. Sed aliter percepta est fides illorum, qui non in malo fuerunt.

50. Ex his videri potest, quid fides spiritualis, & quid fides non spiritualis; quod fides spiritualis sit apud illos qui non peccata faciunt, nam qui peccata faciunt, illi bona faciunt non a se sed a Domino, videatur supra n. 18 ad 31, & per fidem fiunt spirituales: Fides apud illos est Veritas. Hoc docet ita Dominus apud Johannem, *Hoc est judicium, quod Lux venit in mundum, sed amaverunt homines magis tenebras quam lucem, erant enim opera illorum mala; omnis qui mala facit, odit lucem, & non venit ad lucem, ne coarguantur opera ejus: qui autem facit Veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quoniam in Deo facta sunt,* III. 19. 20. 21.

51. Hæc quæ hætenus dicta sunt, confirmantur ex his in Verbo; *Bonus homo ex bono thesauro cordis sui profert bonum; at malus homo ex malo thesauro cordis sui profert malum; nam ex abundantia cordis loquitur os,* Luc. VI. 45. Matth. XII. 35; per cor in Verbo intelligitur voluntas hominis; & quia homo inde

cogitat & loquitur, dicitur ex abundantia cordis loquitur os. ,, *Non quod intrat in os, immundum reddit hominem, sed quod egreditur ex corde, hoc immundum reddit hominem* ,, Matth. XV. 11; per cor etiam hic intelligitur voluntas. ,, *Jesus dixit de muliere, quæ unguento lavit pedes Ipsius, remissa sunt ei peccata, quia multum amavit; & postea dixit, fides tua te salvam facit* ,, Luc. VI. 46. ad 50; ex quibus patet, quod cum peccata remissa sunt, ita cum non sunt, fides salvet. Quod filii Dei & nati a Deo dicantur, qui non in proprio voluntatis suæ sunt, & inde non in proprio intellectus sui, hoc est, qui non in malo sunt & inde in falso, & quod illi sint qui credunt in Dominum, docet Ipse apud Johannem Cap. I. vers. 12. 13; qui locus explicatus videatur supra n. 17. fin:

52. Conclusum ex his sequitur, quod apud hominem non detur granum veri plus quam datur bonum, ita non granum fidei plus quam datur vita: datur cogitatio quod ita sit, in intellectu, sed non agnitio quæ fides, nisi detur consensus in voluntate: ita fides & vita pari passu ambulant. Ex his nunc patet, quod quantum quis fugit mala ut peccata, tantum fidem habeat, & spiritalis sit.

Quod Decalogus doceat, quænam mala sunt peccata.

53. **Q**uænam Gens in universo terrarum Orbe non novit, quod malum sit furari, adulterari, occidere & false testari; nisi hæc scirent, & ne quis talia faciat, per leges caverent, actum foret de illis, nam Societas, Respublica & Regnum, absque illis legibus caderent: quis autumare potest, quod Gens Israelitica præ omnibus aliis tam stupida fuerit, ut ignoraverit, quod illa essent mala: quapropter mirari quis potest, cur Leges illæ universaliter in terrarum orbe cognitæ cum tanto Miraculo e Monte Sinai ab Ipso Jehovah promulgatæ fuerint. Sed audi, cum tali Miraculo promulgatæ fuerunt, ut scirent quod Leges illæ non modo Leges civiles & morales essent, sed etiam Leges Spirituales, & quod facere contra illas, non modo esset malum facere contra concivem & contra societatem, sed etiam esset peccare contra Deum; quare Leges illæ, per promulgationem e monte Sinai a Jehovah, factæ sunt Leges Religionis: evidens enim est, quod quicquid Jehovah Deus mandat, hoc mander ut Religionis sit, & quod faciendum propter Ipsum, & propter hominem ut salvetur.

54. Illæ Leges quia fuerunt Primitiæ Verbi, & inde Primitiæ Ecclesiæ a Domino apud Gentem Israeliticam instaurandæ, & quia erant in brevi summario complexus omnium Religionis, per quæ conjunctio Domini cum homine, & hominis cum Domino, datur, ideo tam sanctæ fuerunt, ut nihil sanctius.

55. Quod sanctissimæ fuerint, constare potest ex eo, quod Ipse Jehovah, hoc est, Dominus, descenderit super monte Sinai in Igne & cum Angelis, & illas viva voce inde promulgaverit, & quod populus per triduum se preparaverit

rit

rit ad videndum & audiendum: quod Mons circumseptus fuerit, ne quis accederet & moreretur: quod nec sacerdotes neque seniores appropinquarent, sed Moses solus: quod Leges illæ inſcriptæ fuerint binis Tabulis lapideis digito Dei: quod Moses, cum illas ſecunda vice e monte deportavit, facie radiaverit: quod poſtea repositæ fuerint in Arca, & hæc in intimo Tabernaculi; & ſuper illam datum fuerit Propitiatorium, & ſuper hoc poſiti Cherubi, ex auro: quod hoc fuerit ſanctiſſimum Eccleſiæ illorum, & vocatum Sanctum ſanctorum: quod extra Velum, intra quod illud, collocata fuerint, quæ repræſentaverunt Sancta Cæli & Eccleſiæ, quæ erant Candelabrum cum ſeptem lucernis ex auro, Altare ſuffimenti ex auro, & Menſa ſuper qua panes facierum obducta auro, cum Aulæis circumcirca ex byſſo, purpura & coccino: ſanctitas totius hujus Tabernaculi non aliunde fuit, quam ex Lege quæ fuit in Arca. Propter Sanctitatem Tabernaculi ex Lege in Arca, univerſus Populus Iſraeliticus circum illud in ordine ſecundum Tribus ex mandato caſtrametatus eſt, & in ordine poſt illud profectus eſt, & tunc ſupra illud fuit nubes interdiu, & ignis noctu: propter ſanctitatem Legis illius, & præſentiam Domini in illa, loquebatur Dominus ſuper Propitiatorio inter Cherubos cum Moſe; & Arca vocabatur Jehovah ibi: tum non licuit Aharoni intrare intra Velum niſi cum ſacrificiis & ſuffitu. Quia Lex illa erat ipſa Sanctitas Eccleſiæ, ideo Arca introducta fuit in Zionem a Davide: & poſtea in medio Templi Hieroſolymitani reposita, & faciebat ejus adytum. Propter Domini præſentiam in Lege illa & circum illam, etiam Miracula per Arcam, in qua Lex illa fuit, facta ſunt, ut quod aquæ Jordanis diſciſſæ ſint, & quamdiu Arca in medio quieſcebat, populus in ſicco tranſiverit: quod per circumlationem ejus muri Jerichuntis ceciderint: quod Dagon deus Philiftæorum coram illa decideret, & poſtea ad limen fani jaceret divulſus a capite: & quod propter illam percuffi ſint Bethſchemitæ ad plura millia; præter alia: hæc omnia ex ſola præſentia Domini in decem Ipſius verbis, quæ ſunt Præcepta Decalogi.

56. Tanta Potentia & tanta Sanctitas inerat iſti Legi, etiam quia illa erat complexus omnium Religionis; conſtabat enim ex binis Tabulis, quarum una continet omnia quæ a parte Dei ſunt, & altera in complexu omnia quæ a parte hominis ſunt: ideo Legis illius Præcepta vocantur decem Verba, ita vocantur quia Decem ſignificant omnia. Sed quomoſo illa Lex eſt complexus omnium Religionis, videbitur in ſequenti Articulo.

57. Quoniam per Legem illam eſt conjunctio Domini cum homine, & hominis cum Domino, vocatur illa FOEDUS & TESTIMONIUM, Fœdus quia conjungit, & Testimonium quia teſtatur, nam Fœdus ſignificat conjunctionem, ac Testimonium teſtificationem ejus. Propterea Tabulæ illæ erant binæ, una pro Domino, altera pro homine: conjunctio fit a Domino; ſed tunc cum homo facit illa quæ in ejus Tabula ſcripta ſunt: Dominus enim continue præſens eſt & operatur, & vult ingredi, ſed homo ex ſuo libero, quod illi a Domino eſt, aperiet; nam dicit, *Ecce ſto ad januam & pulſo, ſi quis audiverit vocem meam, & aperuerit januam, ingrediar ad illum, & cœnabo cum illo, & ille Meum*, Apoc. III. 20.

58. In altera Tabula, quæ est pro homine, non dicitur quod homo faciet hoc & illud bonum, sed dicitur quod non faciet hoc & illud malum, ut, non occides, non adulteraberis, non furaberis, non false testaberis, non concupisces; causa est, quia homo non aliquod bonum potest facere a se. sed cum ille mala non facit, tunc bonum facit non a se sed a Domino. Quod homo possit fugere mala sicut a se ex potentia Domini, si illam imploret, videbitur in sequentibus.

59. Illa quæ de Legis istius Promulgatione, Sanctitate & Potentia supra n. 55, dicta sunt, inveniuntur in his locis in Verbo.

Quod Jehovah descenderit super montem Sinai in Igne, & quod tunc fumaverit & contremuerit mons; & quod fuerint tonitrua, fulgura, nubes gravis, & vox buccinæ, Exod XIX. 16. 18. Devtr. IV. 11. Cap. V. 19 ad 23.

Quod Populus ante descensum Jehovah se præparaverit & sanctificaverit per tres dies, Exod. XIX. 10. 11. 15.

Quod Mons circumseptus fuerit, ne quisquam ad ima ejus appropinquaret & accederet, ne moreretur; & quod nec Sacerdotes, sed Moses solus, Exod. XIX. 12. 13. 20 ad 23. Cap. XXIV. 1. 2.

Lex promulgata e Monte Sinai, Exod. XX. 2. ad 14. Devtr. V. 6 ad 18.

Quod Lex illa inscripta sit binis Tabulis lapideis digito Dei, Exod. XXXI. 18. Cap. XXXII. 15. 16. Devtr. IX. 10.

Quod Moses, cum illas Tabulas secunda vice e Monte deportavit, facie radiaverit, Exod. XXXIV. 29 ad 35.

Quod Tabulæ repositæ fuerint in Arca, Exod. XXV. 16. Cap. XL. 20. Devtr. X. 5. 1 Reg. VIII. 9.

Quod super Arcam datum sit Propitiatorium, & super hoc positi sint Cherubi ex auro, Exod. XXV. 17 ad 21.

Quod Arca, cum Propitiatorio & Cherubis intimum Tabernaculi fecerit, & quod Candelabrum ex auro, Altare suffimenti ex auro, & Mensa super qua panis facierum obducta auro, exterius Tabernaculi fecerint, ac decem Aulæa ex bysso, purpura & coccino extimum ejus, Exod. XXV. 1 ad fin: Cap. XXVI. 1 ad fin. Cap. XL. 17 ad 28:

Quod locus, ubi Arca, vocatus sit Sanctum sanctorum, Exod. XXVI. 33.

Quod universus populus Israeliticus circum Habitaculum in ordine secundum Tribus castrametatus sit, & in ordine post illud profectus sit, Num. II. 1 ad fin.

Quod tunc super Habitaculo fuerit nubes interdiu & ignis noctu, Exod. XL. 38. Num. IX. 15. 16 ad fin. Cap. XIV. 14. Devtr. I. 33.

Quod Dominus loquutus sit cum Mose supra Arcam inter Cherubos, Exod. XXV. 22. Num. VII. 89.

Quod Arca ex Lege in illa dicta sit Jehovah ibi, dixit enim Moses cum Arca proficiscebatur, surge Jehovah, & cum quiescebat, redi Jehovah, Num. X. 35. 36: & porro 11. Sam. VI. 2. Psalm. CXXXII. 7. 8.

Quod propter Sanctitatem istius Legis non licuerit Aharoni intrare intra velum, nisi cum sacrificiis & cum suffitu, Lev. XVI. 2 ad 14 seq.

Quod

Quod Arca introducta sit in Zionem a Davide cum sacrificiis & cum júbilo, II Sam. VI. 1 ad 19. Quod tunc Usa, quia tetigit illam, mortuus sit, Verf. 6 7, ibi.

Quod Arca in medio Templi Hierosolymitani posita sit, ubi faciebat adytum, I Reg. VI 19 seq. Cap. VIII. 3 ad 9.

Quod ex præsentia & potentia Domini in Lege quæ in Arca, aquæ Jordanis discissæ sint, & quamdiu illa in medio quiescebat, populus in sicco transiverit, Jos. III. 1 ad 17 Cap. IV. 5 ad 20.

Quod per circumlationem Arcæ muri Jerichuntis conciderint, Jos. VI. 1 ad 20.

Quod Dagon deus Philisthæorum coram Arca in terram deciderit, & postea super limine fani jaceret divulsus a capite, I Sam. VI. 19.

Quod Bethschemitæ propter Arcam percussi sint ad plura millia, I Sam. VI. 19.

60. Quod Tabulæ lapideæ, super quibus Lex erat scripta, dictæ sint Tabulæ fœderis, & Arca ex illis dicta sit Arca fœderis, & ipsa Lex fœdus, Num. X. 33. Devtr. IV. 13. 23. Cap. V. 2. 3. Cap. IX. 9. Jos. III. 11. I Reg. VIII. 19. 21. Apoc. XI. 19: & multoties alibi. Quod Lex dicta sit fœdus, est quia fœdus significat conjunctionem: quare de Domino dicitur, quod *erit in fœdus populo*, Esaj. XLII. 6. Cap. XLIX. 9: & vocatur *Angelus fœderis*, Malach. III. 1: & sanguis Ipsius *Sanguis fœderis*, Matth. XXVI. 27. Sach. IX. 11. Exod. XXIV. 4 ad 10. ideo Verbum dicitur *Fœdus vetus* & *Fœdus novum*. Fœdera etiam fiunt amoris, amicitæ, consociationis, ita conjunctionis gratia.

61. Quod præcepta illius Legis dicta sint Decem verba, Exod. XXXIV. 28. Devtr. IV. 13. Cap. X. 4, ita vocantur, quia decem significant omnia, & verba significant vera; fuerunt enim plura quam decem. Quia Decem significant omnia, ideo aulæ Tabernaculi fuerunt decem, Exod. XXVI. 1: ideo dixit Dominus, quod homo accepturus regnum vocaverit decem servos & dederit illis decem minas ad negotiandum, Luc. XIX. 13: ideo Dominus affimilavit regnum cælorum decem virginibus, Matth. XXV. 1: ideo describitur draco, quod haberet decem cornua, & super cornibus decem diademata, Apoc. XII. 3. Similiter bestia e mari ascendens, Apoc. XIII. 1: & quoque alia bestia, Apoc. XVI. 3. 7, tum etiam bestia apud Danielelem, Cap VII. 7. 20. 24. Simile significatur per decem, Levit. XXVI. 26. Sach. VIII. 23, & alibi. Inde sunt Decimæ, per quas significatur aliquid ex omnibus.

Quod omnis generis homicidia, adulteria, furta, falsa testimonia, cum concupiscentia ad illa, sint mala, quæ ut peccata fugienda sunt.

62. **N**otum est, quod Lex Sinai inscripta fuerit binis Tabulis, & quod Prima Tabula contineat illa quæ Dei sunt, & Altera quæ hominis. Quod Prima Tabula contineat omnia quæ Dei sunt, & Altera omnia quæ hominis, non apparet in litera; sed omnia in illis sunt; quare etiam vocantur Decem Verba, per quæ significantur omnia Vera in complexu, videatur mox supra

n. 61: sed quomodo omnia inibi sunt, non paucis potest exponi; at potest comprehendi ex illis, quæ in DOCTRINA DE SCRIPTURA SACRA n. 67, allata sunt,, quæ videantur. Inde est, quod dicatur omnis generis homicidia, adulteria, furta, & falsa testimonia.

63. Invaluit Religio, quod nemo possit implere Legem, & Lex est non occidere, non adulterari, non furari, & non false testari: hæc legis potest unusquisque homo civilis & moralis ex vita civili & morali implere, sed ex vita spirituali, negat illa religio: ex quo sequitur, quod illa non facere sit modo ad evitandum pœnas & jacturas in mundo, & non ad evitandum pœnas & jacturas postquam reliquit mundum; inde est, quod homo, apud quem invaluit supra dicta religio, cogitet illa licita coram Deo, sed illicita coram mundo. Propter hanc cogitationem ex sua illa religione homo in concupiscentia est ad omnia illa mala, & solum omittit facere illa propter mundum; quare talis homo post mortem, tametsi non commiserat homicidia, adulteria, furta & false testatus est, usque concupiscit facere illa, & quoque facit, cum externum, quod in mundo habuit, ei aufertur; omnis concupiscentia manet hominem post mortem; ex hoc est, quod tales cum Inferno unum agant, & non possint aliter quam fortem habere cum illis qui in Inferno sunt. Sed alia fors est illis, qui non volunt occidere, adulterari, furari, & false testari, quia illa facere est contra Deum; illi post aliquam pugnam contra illa, non volunt illa, ita non concupiscunt facere illa, dicunt corde suo, quod sint peccata, in se infernalibus & diabolica: hi post mortem, cum externum, quod pro mundo habuerunt, illis aufertur, cum Cælo unum agunt, & quia sunt in Domino, in cœlum etiam veniunt.

64. Commune in omni Religione est, quod homo debeat explorare se, pœnitentiam agere, & desistere a peccatis; & quod si non id faciat, in damnatione sit; quod hoc sit commune in omni Religione, videatur supra n. 4. 5. 6. 7. 8. Commune etiam est in toto Christiano Orbe, quod Decalogus doceatur, & quod Infantes in Religionem Christianam initientur per illum, est enim in omnium Infantum puerorum manu; ipsi parentes & magistri dicunt illis, quod illa facere sit peccare contra Deum, imo quando cum infantibus loquuntur, nec aliud sciunt: quis non mirari potest, quod iidem, & quoque infantes cum adulti fiunt, cogitent quod non sub lege illa sint, & quod facere illa, quæ istius Legis sunt, non possint; quod discant ita cogitare, num aliud potest in causa esse, quam quod ament mala, & inde falsa quæ favent: hi itaque sunt, qui præcepta Decalogi non faciunt Religionis: quod iidem vivant absque Religione, videbitur in DOCTRINA DE FIDE.

65. Apud omnes Gentes in universo terrarum Orbe, apud quas est Religio, sunt similia præcepta, quæ in Decalogo; & omnes illi qui vivunt illa ex religione, salvantur; at omnes qui non vivunt illa ex religione, damnantur: illi qui vivunt illa ex religione, post mortem instructi per Angelos recipiunt vera, & agnoscunt Dominum; causa est, quia fugiunt mala ut peccata, & inde in bono sunt, & bonum amat verum, & ex desiderio amoris recipit illud, ut supra n. 32 ad 41, ostensum est. Hoc intelligitur per Domini verba ad Judæos

dæos,, *Auferetur a vobis Regnum Dei, & dabitur Genti facienti fructus* ,, Matth. XXI. 43: tum per hæc,, *Cum venerit Dominus vineæ, malos perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddent Ipsi fructus in tempore suo*, Matth. XXI. 40. 41: & per hæc,, *Dico vobis, quod multi ab oriente & occidente venient, & a septentrione & meridie, & accumbent in Regno Dei; filii vero Regni ejicientur in tenebras exteriores*,, Matth. VIII. 11. 12. Luc. XIII. 29.

66. Legitur apud Marcum,, Quod quidam dives venerit ad Jesum, & interrogaverit Ipsum, quid faceret ut vitam æternam hæreditario acciperet: cui dixit Jesus, præcepta nosti, non mæchaberis, non occides, non furaberis, non eris falsus testis, non defraudabis, honora patrem tuum & matrem: ille respondens dixit, hæc omnia custodivi a juventute: Jesus aspexit illum, & amavit illum: dixit tamen; unum tibi deest, abi, quæcunque habes, vende, & da pauperibus, ita habebis thesaurum in Cælis; veni tamen sequere Me, tollens crucem,, X. 17 ad 22. Dicitur quod Jesus amaverit illum, hoc quia dixit quod illa præcepta custodiverit a juventute; sed quia tria ei deerant, quæ sunt, quod cor suum non removerit a divitiis, quod non pugnaverit contra concupiscentias, & quod nondum agnovit Dominum pro Deo; ideo dixit Dominus, quod venderet omnia quæ haberet, per quod intelligitur quod removeret cor a divitiis; quod tolleret crucem, per quod intelligitur quod pugnet contra concupiscentias; & quod sequeretur Ipsum, per quod intelligitur quod agnosceret Dominum pro Deo: Dominus hæc ut omnia loquutus est per correspondentias, videatur DOCTRINA DE SCRIPTURA SACRA, n. 17: fugere enim mala ut peccata, nemo potest nisi agnoscat Dominum, & Ipsum adeat, & nisi pugnet contra mala, & sic removeat concupiscentias. Sed de his plura, in Articulo de pugnis contra mala.

Quod quantum quis omnis generis Homicidia ut peccata fugit, tantum amorem erga proximum habeat.

67. **P**er omnis generis homicidia, intelliguntur etiam omnis generis inimicitæ, odia & vindictæ, quæ spirant necem; in illis enim latet homicidium, sicut ignis in ligno sub cinere; ignis infernalis nec aliud est; ex eo est, quod dicatur ardescere odio & flagrare vindicta; hæc sunt homicidia in naturali sensu: per homicidia autem in Spirituali sensu, intelliguntur omnes modi occidendi & perdendi animas hominum, qui sunt varii & multiplices: per homicidium autem in supremo sensu intelligitur odio habere Dominum. Hæc tria genera homicidiorum unum faciunt & cohærent; nam qui vult necem corporis hominis in mundo, is vult necem animæ ejus post mortem; & vult necem Domini, flagrat enim ira contra Ipsum & vult nomen Ipsius extinguere.

68. Hæc homicidiorum genera latent intus apud hominem ex nativitate, sed ille usque ab infantia discit obvelare illa civilitate & moralitate, in quibus de-
bet

bet esse cum hominibus mundi, & quantum honorem aut lucrum amat, custodit ne appareant; hoc fit externum hominis, cum illa sunt internum ejus: talis homo est in se: nunc quia externum deponit cum corpore cum moritur, & retinet internum, patet qualis diabolus foret nisi reformaretur.

69. Quoniam supradicta homicidiorum genera latent intus apud hominem ex nativitate, ut dictum est, & simul omnis generis furta, & omnis generis falsa testimonia, cum concupiscentiis ad illa, de quibus infra dicendum est, patet, quod nisi Dominus proviserit media reformationis, homo non posset non in æternum perire. Media reformationis, quæ Dominus proviserit, sunt hæc; quod homo nascatur in meram ignorantiam; quod recens natus teneatur in statu innocentiae externæ, post paulum in statu charitatis externæ, & dein in statu amicitiae externæ; sed sicut in cogitationem, ex suo intellectu venit, tenetur in quodam libero agendi secundum rationem, hic status est, qui supra n. 19 descriptus est, & hic reassumendus propter sequentia, viz:

„ Homo, quamdiu est in mundo, in medio est inter Infernum & Cælum,
 „ infra est Infernum & supra est Cælum, & tunc tenetur in libero converten-
 „ di se aut ad Infernum aut ad Cælum; si se convertit ad Infernum, avertit se
 „ a Cælo, si autem convertit se ad Cælum, avertit se ab Inferno. Seu quod
 „ idem est, homo quamdiu est in mundo, in medio stat inter Dominum &
 „ diabolum, ac tenetur in libero convertendi se ad unum aut ad alterum, si se con-
 „ vertit ad diabolum, avertit se a Domino, si autem convertit se ad Domi-
 „ minum, avertit se a diabolo. Seu quod idem est, homo quamdiu in mundo
 „ est, in medio est inter malum & bonum, & tenetur in libero convertendi se
 „ aut ad unum aut ad alterum, si se convertit ad malum, avertit se a bono,
 „ si autem convertit se ad bonum, avertit se a malo; hæc supra n. 19; vi-
 „ deantur etiam n. 20. 21. 22, quæ ibi sequuntur.

70. Nunc quia malum & bonum sunt duo opposita, prorsus sicut infernum & cælum, aut sicut diabolus & Dominus, sequitur quod si homo fugit malum sicut peccatum, veniat in bonum malo oppositum; bonum oppositum malo quod intelligitur per homicidium, est bonum amoris erga proximum.

71. Quoniam hoc bonum & illud malum sunt opposita, sequitur quod hoc removeatur per illud; duo opposita non possunt esse una, sicut non Cælum & infernum una: si una, foret tepidum, de quo ita in Apocalypsi, „ *Novi quod neque frigidus sis neque calidus, utinam frigidus esses aut calidus; sed quia tepidus es, neque frigidus neque calidus, exspuam te ex ore meo,* „ III. 15. 16.

72. Quando homo non amplius in malo homicidii est, sed in bono amoris erga proximum, tunc quicquid agit, bonum illius amoris est, consequenter est bonum opus: homo Sacerdos, qui in illo bono est, quoties docet & ducit, bonum opus facit, quia ex amore salvandi animas: persona Magistratus, qui in illo bono est, quoties disponit & judicat, bonum opus facit, quia ex amore consulendi patriæ, societati & concivi: Negotiator similiter, si in illo bono est, omne negotiationis ejus est bonum opus, est in illo amor proximi, & proximus sunt patria, societas, concivis, & quoque domestici, quibus consulit eum sibi: Operarius etiam, qui in illo bono est, ex illo fideliter operatur, pro aliis

aliis sicut pro se, timens damni proximi sicut sui. Quod facta illorum sint bona opera, est quia quantum quis fugit malum tantum facit bonum, secundum communem legem supra n. 21; & qui fugit malum ut peccatum, is facit bonum non a se sed a Domino, n. 18 ad 31. Contrarium fit apud illum, qui genera homicidii, quæ sunt inimicitia, odia, vindictæ, & plura, non spectat ut peccata, sive sit sacerdos, sive persona magistratus, sive negotiator, sive operarius, quicquid facit, non est bonum opus, quia omne opus ejus participat a malo quod intus in illo est, internum enim ejus est quod producit, externum potest bonum esse, sed pro aliis, non pro ipso.

73. Dominus docet bonum amoris in Verbo multis in locis, & docet illud per reconciliatorem cum proximo apud Matthæum, „ *Si obtuleris munus tuum super altare, & apud hoc recordatus fueris, quod frater tuus habeat aliquid contra te; relinque ibi munus coram altari, & abi prius reconciliare fratri, & tunc veniens offer munus tuum; & benevolentiam ini cum adversario tuo, dum es in via cum illo, ne te tradat adversarius judici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem conjiciaris: amen dico tibi, non exibis, donec persolveris ultimum dadrantem* „ V. 23 ad 26; reconciliari fratri est fugere inimicitiam, odium & vindictam; quod sit fugere illud ut peccatum, patet. Docet etiam Dominus apud Matthæum, „ *Omnia quæcunque volueritis ut faciant vobis homines, sic & vos facite illis: hæc est Lex & Propheræ* „ VII. 12; ita non malum; & pluries alibi. Dominus quoque docet, quod occidere etiam sit irasci fratri seu proximo temere, & illum inimicum habere, Matth. V. 21. 22.

Quod quantum quis omnis generis Adulteria ut peccata fugit, tantum Castitatem amet.

74. **P**er adulterari in Decalogi sexto Præcepto in naturali sensu non modo intelligitur scortari, sed etiam obscæna facere, lasciva loqui, & spurca cogitare; per adulterari autem in spiritali sensu intelligitur adulterare bona Verbi & falsificare vera ejus: in supremo autem sensu per adulterari intelligitur negare Divinum Domini & prophanare Verbum: omnis generis Adulteria hæc sunt. Homo naturalis ex rationali lumine scire potest, quod per adulterari etiam intelligatur obscæna facere, lasciva loqui, & spurca cogitare; sed non scit, quod per adulterari etiam intelligatur adulterare bona Verbi & falsificare vera ejus; & adhuc minus quod intelligatur negare Divinum Domini & prophanare Verbum, inde nec scit, quod Adulterium sit tantum malum, ut vocari possit ipsum diabolicum, nam qui in Adulterio naturali est, ille etiam in Adulterio spiritali est, & vicissim: quod ita sit, in singulari Opusculo DE CONJUGIO demonstrabitur. Sed illi in omnis generis adulteriis simul sunt, qui adulteria ex fide & vita non faciunt peccata.

75. Quod quantum quis fugit adulterium, tantum amet conjugium, seu quod idem, quantum quis fugit lasciviam adulterii, tantum amet castitatem conjugii, est quia lascivia adulterii & castitas conjugii sunt duo opposita, quare

quantum non in uno est, tantum in altero est: est prorsus sicut dictum est supra n. 70.

76. Non potest quisquam scire, qualis est castitas conjugii, nisi qui fugit lasciviam adulterii ut peccatum; homo scire potest in quo est, sed non potest scire in quo non est; si scit aliquid in quo non est ex descriptione aut ex cogitatione, usque non scit id aliter quam in umbra, ac inhæret dubium, quare non illud videt in luce & absque dubio, quam cum in illo est; hoc itaque est scire, illud autem est scire & non scire. Veritas est, quod lascivia adulterii & castitas conjugii inter se sint prorsus sicut infernum & cælum inter se; & quod lascivia adulterii faciat infernum apud hominem, & castitas conjugii cælum apud illum. Sed non datur castitas conjugii apud alium, quam qui fugit lasciviam adulterii sicut peccatum; videatur infra n. III.

77. Ex his non ambigue concludi & videri potest, num homo sit Christianus vel non, imo num homini aliqua Religio sit vel non: qui adulteria ex fide & vita non facit peccata, ille non Christianus est, nec illi religio est: vicissim autem, qui adulteria ut peccata fugit, & magis qui propterea averfatur illa, & adhuc magis qui propterea abominatur illa, illi religio est, & si in Ecclesia Christiana est, Christianus est. Sed de his plura in Opusculo de CONJUGIO: interea videantur quæ in Opere de CÆLO ET INFERNIS n. 366 ad 386, de illis dicta sunt.

78. Quod per adulterari etiam intelligatur obscœna facere, lasciva loqui, & spurca cogitare, constat a Domini verbis apud Matthæum, *Audivistis quod veteribus dictum sit, non adulteraberis: Ego vero dico vobis, quod si quis aspexerit mulierem alienam ita ut concupiscat eam, jam adulterium cum illa commiserit in corde suo*, V. 27. 28.

79. Quod per adulterari in spiritali sensu intelligatur adulterare bonum Verbi & falsificare verum ejus, constat ex his, *Babylon a vino scortationis suæ potavit omnes gentes*, Apoc. XIV. 8., *Angelus dixit, monstrabo tibi judicium Meretricis magnæ sedentis super aquis multis, cum qua scortati sunt reges terræ*, Apoc. XVII. 1. 2., *Babylon ex vino furoris scortationis suæ potavit omnes gentes, & reges terræ cum ea scortati sunt*, Apoc. XVIII. 3. *Deus judicavit Meretricem magnam, quæ corrupit terram scortatione sua*, Apoc. XIX. 2: scortatio dicitur de Babylone, quia per Babylonem intelliguntur illi, qui Divinam Domini potestatem sibi arrogant, & prophanant Verbum adulterando & falsificando illud; quare etiam Babylon vocatur *mater scortationum & abominationum terræ*, Apoc. XVII. 5. Simile per scortationem significatur apud Prophetas, ut apud Jeremiam, *In prophetis Hierosolymæ vidi obfirmationem horrendam, adulterando & eundo in mendacio*, XXIII. 14. Apud Ezechielem, *Duæ mulieres filie unius matris scortatæ sunt in Ægypto, in adolescentia sua scortatæ sunt: scortata est una sub Mæ; & dilexit amafios Assyrios propinquos, dedit scortationes suas super illos; attamen scortationes suas in Ægypto non deseruit. Altera corrupit amorem suum plus quam illa, & scortationes suas supra scortationes sororis; addidit ad scortationes suas, amavit Chaldeos; venerunt ad illam filii Babelis ad concubitum amorum, & polluerunt eam per scortationem suam*, XXIII. 2 ad 17.; hæc de Ecclesia Israelitica & Judaica, quæ

quæ ibi sunt filiæ unius matris; per scortationes illarum intelliguntur adulterationes & falsificationes Verbi; & quia in Verbo per Ægyptum significatur scientia, per Assyriam ratiocinatio, per Chaldæam prophanatio veri, & per Babellem prophanatio boni, ideo dicitur quod cum illis scortatæ sint. Simile dicitur de Hierosolyma, per quam significatur Ecclesia quoad doctrinam, apud Ezechielem, „ *Hierosolyma confisa es pulchritudini tuæ, & scortata es ob famam tuam, adeo ut effuderis scortationes tuas super omnem transeuntem: scortata es cum filiis Ægypti vicinis tuis, maguis carne, & multiplicasti scortationem tuam; scortata es cum filiis Aschuris; cum satietas tibi nulla, cum quibus scortata es, multiplicasti scortationem tuam usque ad terram negotiationis Chaldæam: mulier adultera sub viro suo accipit alienos: omnes meretricibus suis dant mercedem, tu vero dedisti mercedes omnibus amantibus, ut veniant ad te in circuitu tuo in scortationibus tuis: quare Meretrix audi verbum Jehovah.* „ XVI. 15. 26. 28. 29. 32. 33. 35 seq. quod per Hierosolymam intelligatur Ecclesia, videatur in DOCTRINA DE DOMINO, n. 62. 63. simile per scortationes significatur apud Esajam Cap. XXIII. 17. 18. Cap. LVII. 3: apud Jeremiam Cap. II. 2. 6. 8. 9 Cap. V. 1. 7. Cap. XIII. 27. Cap. XXIX. 23: apud Micham, Cap. I. 7: apud Nahum, Cap. III. 3. 4. apud Joseam Cap. IV. 7. 10. 11: tum Levit. XX. 5. Num. XIV. 33. Cap. XV. 39, & alibi. Idcirco etiam Gens Judaica a Domino vocata est *Generatio adultera*, Matth. XII. 39. Cap. XVI. 4. Marc. VIII. 38.

Quod quantum quis omnis generis Furta ut peccata fugit, tantum Sinceritatem amet.

80. **P**er furari in naturali sensu non modo intelligitur furari & latrocinari, sed etiam defraudare, & sub aliqua specie alteri sua bona auferre: per furari autem in spirituali sensu intelligitur deprivare alium suæ fidei veris & suæ charitatis bonis: in supremo vero sensu per furari intelligitur auferre Domino quæ Ipsius sunt, & sibi illa attribuere, ita vindicare sibi justitiam & meritum: hæc sunt omnis generis Furta; & quoque unum faciunt, sicut omnis generis adulteria, & omnis generis homicidia, de quibus prius: quod unum faciunt, est quia unum est in altero.

81. Malum furti intrat altius apud hominem, quam aliud quoddam malum, quia conjunctum est cum astu & dolo, ac astus & dolus se insinuant usque in spiritualem hominis mentem, in qua est cogitatio ejus cum intellectu. Quod homini Mens spiritualis & Mens naturalis sit, infra videbitur.

82. Quod quantum quis furtum ut peccatum fugit, tantum sinceritatem amet, est quia furtum etiam est fraus, ac fraus & sinceritas sunt duo opposita, quare quantum quis non in fraude est, tantum in sinceritate est.

83. Per sinceritatem etiam intelligitur Integritas, Justitia, Fidelitas & Rectitudo: in his homo non potest esse a se ita ut amet illa ex illis & propter illa: sed qui fugit fraudes, astus & dolos ut peccata, is in illis ita est non a se sed a Domino, ut supra n. 13 ad 3 ostensum est: ita Sacerdos, ita Persona ma-

gistratus, ita Judex, ita Negotiator, ita Operarius, ita omnis in sua functione & in suo opere.

84. Hæc docet Verbum multis in locis, ex quibus hæc sint „ *Quis ambulat in iustitiis, & loquitur rectitudines, qui fastidit propter lucrum oppreffiones, excutit manus suas ne sustineant munus; obturat aures suas ne audiant sanguines, & occuldit oculos suos ne videant malum; hic in altis habitabit* „ XXXIII. 15. 16. „ *Jehovah, quis commorabitur in tentorio tuo, quis habitabit in monte sanctitatis tuæ, qui ambulat integer & facit justitiam, is non detrectat lingua sua, non facit socio suo malum* „ Psalm. XV. 1. 2. 3 seq. „ *Oculi mei erga fideles terræ, ut sedeant Mecum, ambulans in via integri, hic ministrabit Mihi: non sedebit in medio domus meæ faciens dolum, loquens mendacia non consistet coram oculis meis: sub aurora excindam omnes impios terræ, ad excindendum ex urbe omnes operantes iniquitatem* „ Psalm. CI. 6. 7. 8.

Quod nisi quis interius sit sincerus, justus, fidelis & rectus, usque sit insincerus, injustus, infidelis & non rectus, docet Dominus his verbis, *Nisi abundaverit justitia vestra super Scribarum & Phariseorum, non intrabitis in Regnum cælorum* „ Matth. V. 20; per justitiam abundantem super Scribarum & Phariseorum intelligitur justitia interior, in qua est homo qui est in Domino: quod in Domino, docet etiam Ipse apud Johannem, „ *Ego gloriam, quam dedisti Mihi, dedi illis, ut sint unum sicut nos unum sumus, Ego in illis & Tu in Me, ut sint perfecti in unum: utque dilectio, qua delexisti Me, in illis sit & Ego in illis* „ XVII. 22. 23. 26; ex quo patet quod perfecti sint, cum Dominus in illis. Illi sunt qui vocantur mundi corde, qui Deum videbunt; ac perfecti sicut Pater in Cælis „ Matth. V. 8. 48.

85. Supra n. 81, dictum est, quod malum furti intret altius apud hominem, quam aliud quoddam malum, quia conjunctum est cum astu & dolo; ac astus & dolus se insinuant usque in spiritualem hominis mentem in qua est cogitatio ejus cum intellectu; quare nunc aliquid de MENTE hominis dicetur: quod Mens hominis sit intellectus & simul voluntas ejus, videatur supra n. 43.

86. Homini est Mens naturalis & Mens spiritualis, Mens naturalis est infra & Mens Spiritualis est supra: Mens naturalis est mens mundi ejus, & Mens spiritualis est mens cæli ejus: Mens naturalis potest vocari mens animalis, at Mens spiritualis mens humana; distinguitur etiam homo ab animali per id, quod ei Mens spiritualis sit, per hanc potest in Cælo esse dum in mundo: per illam etiam est quod homo vivat post mortem.

Homo intellectu potest esse in Mente spiritali, & inde in Cælo, sed non potest voluntate esse in Mente spiritali, & inde in Cælo, nisi fugiat mala sicut peccata; & si non voluntate etiam ibi est, usque non est in cælo, nam voluntas trahit intellectum deorsum. & facit ut ille æque naturalis & animalis sit secum.

Homo comparari potest horto, Intellectus luci, & Voluntas calori; hortus est in luce & non simul in calore tempore hyemis; at in luce & simul incalore tempore ætatis: est itaque homo qui in sola luce intellectus, sicut hortus tempore hyemis; sed qui in luce intellectus & simul in calore voluntatis, est sicut hortus

hortus tempore æstatis. Etiam Intellectus sapit ex luce spiritali, & Voluntas amat ex calore spiritali; nam Lux spiritalis est Divina Sapiencia, & Calor spiritalis est Divinus Amor.

Quamdiu homo non fugit mala ut peccata, concupiscentiæ malorum obstipant interiora mentis naturalis a parte voluntatis, quæ sunt ibi sicut densum velum, & sicut atra nubes sub Mente spiritali, & inhibent ne aperiatur: at vero ut primum homo fugit mala ut peccata, tunc Dominus e Cælo influit, & aufert velum, & discutit nubem, & aperit Mentem spiritualem, & sic intro-mittit hominem in Cælum.

Quamdiu concupiscentiæ malorum obstipant interiora mentis naturalis, ut dictum est, tamdiu homo est in inferno; ut primum autem concupiscentiæ illæ a Domino discussæ sunt, homo est in cælo. Tum, quamdiu concupiscentiæ malorum obstipant interiora mentis naturalis, tamdiu est homo naturalis; ut primum autem concupiscentiæ illæ a Domino discussæ sunt, est homo spiritalis. Tum, quamdiu concupiscentiæ malorum obstipant interiora mentis naturalis, tamdiu homo est animal, differt modo, quod possit cogitare & loqui, etiam de talibus quæ non videt oculis, quod trahit a facultate elevationis intellectus in lucem cæli; ut primum autem concupiscentiæ illæ a Domino discussæ sunt, homo est homo, quia tunc cogitat verum in intellectu ex bono in voluntate. Tum etiam, quamdiu concupiscentiæ malorum obstipant interiora mentis naturalis, tamdiu est homo sicut hortus tempore hyemis; ut primum autem concupiscentiæ illæ a Domino discussæ sunt, est ille sicut hortus tempore æstatis.

Conjunctio voluntatis & intellectus apud hominem, intelligitur in Verbo per Cor & Animam, & per Cor & Spiritum, ut quod amaturi sint Deum ex toto Corde & ex tota Anima, Matth. XXII. 35: & quod Deus daturus sit novum Cor & novum Spiritum, Ezech. XI. 19. Cap. XXXVI. 26 27.; per Cor intelligitur Voluntas & ejus amor, ac per Animam & per Spiritum, Intellectus & ejus sapientia.

Quod quantum quis omnis generis falsa Testimonia ut peccata fugit, tantum Veritatem amet.

87. **P**er false testari in naturali sensu non modo intelligitur falsum testem agere, sed etiam mentiri & diffamare: per false testari in spiritali sensu intelligitur dicere & persuadere quod falsum sit verum, & malum sit bonum, ac vicissim: in supremo autem sensu per false testari, intelligitur blasphemare Dominum & Verbum: hæc sunt false testari in triplici sensu. Quod illa unum faciant apud hominem false testantem, mendacium loquentem, & diffamantem, constare potest ex illis, quæ in DOCTRINA DE SCRIPTURA SACRA, de triplici sensu omnium Verbi, n. 5. 6. 7 seqq & n 57, ostensa sunt.

88. Quoniam Mendacium & Veritas sunt duo opposita, sequitur, quod quantum quis fugit mendacium ut peccatum, tantum amet veritatem.

89. Quantum quis amat Veritatem, tantum vult cognoscere illam, & tantum corde afficitur cum invenit illam; nec alius venit in sapientiam; & quantum amat facere illam, tantum sentit amœnitatem lucis in qua est veritas. Simile est cum reliquis hæctenus dictis; ut cum Sinceritate & Justitia apud illum qui fugit omnis generis furta; cum Castitate & Puritate apud illum, qui fugit omnis generis adulteria; & cum Amore & Charitate apud illum, qui fugit omnis generis homicidia, & sic porro. Ille autem qui in oppositis est, non scit aliquid de illis, cum tamen omne aliquid est in illis.

90. Veritas est, quæ intelligitur per semen in agro, de quo ita Dominus,, *Exiit seminans ad seminandum; & cum seminabat, aliud cecidit super viam, quod conculcatum est, & volatilia cœli comederunt; aliud autem cecidit super petrosa, sed cum cresceret, exarefactum est, quia non habebat radicem: aliud cecidit in medium spinarum, & simul enatæ spinæ suffocarunt illud: & aliud cecidit in terram bonam, & cum enatum fecit fructum multiplicum*,, Luc. VIII. 5 ad 8. Matth. XIII. 3 ad 8. Marc. IV. 3 ad 8. Seminans ibi est Dominus, & semen est Verbum Ipsius, ita Veritas; semen super via est apud illos qui veritatem curant; semen super petrosis est apud illos qui veritatem curant sed non propter illam, ita non interius; semen in medio spinarum est apud illos qui in concupiscentiis mali sunt; semen autem in terra bona est apud illos, qui veritates quæ in Verbo sunt ex Domino amant, & ab Ipso illas faciunt, ita fructus: quod hæc intelligantur, constat ab explicatione illorum a Domino, Matth. XIII. 19 ad 23. 37. Marc. IV. 14 ad 20. Luc. VIII. 11 ad 15. Ex his patet, quod veritas Verbi non radicari possit apud illos, qui veritatem non curant; nec apud illos qui veritatem exterius & non interius amant; nec apud illos qui in concupiscentiis mali sunt; sed apud illos, apud quos concupiscentiæ mali a Domino discussæ sunt: apud hos radicatur semen, hoc est, Veritas in Mente eorum spirituali, de qua supra n. 86 ad fin.

91. Communis opinio hodie est, quod salvari sit credere hoc aut illud, quod Ecclesia docet, & quod salvari non sit facere præcepta decalogi, quæ sunt non occidere, non adulterari, non furari, non false testari, in stricto & in lato sensu, dicitur enim, quod non spectentur opera, sed fides a Deo; cum tamen quantum quis in illis malis est, tantum non fidem habet, videatur supra n. 42 ad 52: consule rationem, & perspice, num quis homicida, adulter, fur & falsus testis, quamdiu in concupiscentia illorum est, possit fidem habere; tum etiam, num concupiscentia illorum possit aliter discuti, quam per non vellem facere illa quia peccata sunt, hoc est, quia infernalicia & diabolica; quare qui opinatur, quod salvari sit credere hoc aut illud quod Ecclesia docet, & usque talis est, ille non potest non esse stultus, secundum Domini verba apud Matthæum Cap. VII. 26. Talis Ecclesia describitur ita apud JEREMIAM,, *Sta in* ,, *porta Domus Jehovæ, & proclama ibi Verbum hoc; sic dixit Jehovab Zelauth Deus* ,, *Israelis, bonas reddite vias vestras, & opera vestra: ne consulite vobis super ver-* ,, *bis mendicii, dicendo, Templum Jehovæ, Templum Jehovæ, Templum Jehovæ,* ,, *illi: num furando, occidendo, & adulterando & jurando per mendacium, deinde* ,, *venietis & stabitis coram Me in Domo hac, super qua nominatur Nomen meum,* ,, &

„ *Et dicetis erepti sumus, dum facitis abominationes illas: num spelunca latronum
; facta est Domus hæc: etiam Ego, ecce, vidi, dictum Jehovæ, VII. 2. 3. 4.
9. 10. 11.*

Quod non aliquis possit fugere mala ut peccata,
usque ut interius aversetur illa, nisi per
pugnas contra illa.

92. **Q**uifque ex Verbo & ex Doctrina e Verbo novit, quod Proprium ho-
minis a nativitate fit malum, & quod inde fit, quod ex innata con-
cupiscentia amet mala & feratur in illa, ut quod velit vindicare, ve-
lit defraudare, velit diffamare. & velit adulterari; & si non cogitat quod pec-
cata sint, & propterea resistit illis, ea faciat quoties occasio se præbet, & non
fama propter honorem aut lucrum patitur. Accedit, quod homo faciat illa ex
jucundo, si non religio ei sit.

93. Quoniam hoc Proprium hominis primam radicem vitæ ejus facit, patet
qualis homo arbor foret, si non illa radix extirparetur, & nova radix implan-
taretur; foret arbor putris, de qua dicitur, quod excindenda & in ignem con-
jicienda sit, Matth. III. 10. Cap. VII. 19. Hæc radix non removetur, & no-
va loco ejus inditur, nisi homo spectat mala, quæ faciunt radicem, ut damna
animæ suæ, & propterea vult abalienare illa; sed quia sunt Proprii ejus, &
inde jucunda, non potest id nisi invito, & cum lucta, ita cum pugna.

94. Omnis qui credit quod infernum & cælum sint, & quod cælum sit feli-
tas æterna, ac quod infernum sit infelicitas æterna, & qui credit quod in in-
fernum veniant qui mala faciunt, & in cælum qui bona faciunt, is pugnat; &
qui pugnat, ille ex interiori agit, & contra ipsam concupiscentiam, quæ facit
radicem mali, nam qui pugnat contra aliquid, is non vult illud, & concupif-
cere est velle. Inde patet, quod radix mali non amoveatur quam per pugnam.

95. Quantum itaque quis pugnat, & sic amovet malum, tantum loco ejus
succedit bonum, & ex bono tantum videt malum in facie, & tunc quod infer-
nale sit & horrendum; & quia tale, non modo fugit illud, sed etiam averfatur
illud, & tandem abominatur illud.

96. Homo qui contra mala pugnat, non potest non pugnare sicut a se, nam
qui non sicut a se, ille non pugnat, stat sicut avtomaton nihil videns & nihil
agens, & continue cogitat ex malo pro illo, & non contra illud. Sed usque
probe sciendum est, quod solus Dominus pugnet in homine contra mala, &
quod modo appareat homini sicut ille pugnet ex se, & quod Dominus velit ut
ita homini appareat, quoniam absque illa apparentia non existit pugna, ita
nec reformatio.

97. Pugna illa non gravis est nisi illis, qui omnia fræna concupiscentiis laxa-
verunt, & ex proposito illis indulserunt; & quoque illis, qui sancta Verbi &
Ecclesiæ

Ecclesiæ in obfirmatione repudiaverunt: at reliquis non gravis est, resistent malis in intentione modo semel in septimana, aut bis in mense, & percipient mutationem.

98. Vocatur Ecclesia Christiana Ecclesia pugnans, & non potest pugnans dici nisi contra diabolum, ita contra mala quæ ab inferno; infernum est diabolus. Tentatio, quam homo Ecclesiæ subit, est pugna illa.

99. De Pugnibus contra mala, quæ sunt tentationes, multis in locis in Verbo agitur; intelliguntur per hæc Domini verba,, *Dico vobis, nisi granum tritici cadens in terram moriatur, ipsum solum manet, si vero moriatur, vulgum fructum fert*,, Joh. XII. 25. Tum per hæc,, *Quisquis voluerit post Me venire, abrogato seipsum, ac tollat crucem suam, & sequatur Me. Quisquis voluerit animam servare, perdet eam, qui vero perdidit animam suam propter Me, & propter Evangelium, hic servabit illam*,, Marc. VIII. 34. 35; per crucem intelligitur tentatio, ut quoque Matth. X. 38. Cap. XVI. 24. Marc. X. 21. Luc. XIV. 27: per animam intelligitur vita Proprii hominis, ut quoque Matth. X. 39. Cap. XVI. 25. Luc. IX. 24, & imprimis Joh. XII. 25; quæ etiam est vita carnis, quæ non prodest quicquam, Joh. VI. 63. De Pugnibus contra mala, & de victoriis super illa, loquitur Dominus ad omnes Ecclesias in Apocalypsi; ad ECCLESIAM IN EPHESO,, *Qui vincit, dabo ut comedat de arbore vitæ, quæ est in medio paradisi Dei*,, Apoc. II. 7. Ad ECCLESIAM IN SMYRNA,, *Qui vicerit, non damnatum patietur in morte altera*,, Apoc. II. 11. Ad ECCLESIAM IN PERGAMO,, *Qui vincit, illi dabo ut comedat de Manna abscondita; & dabo illi calculum album, & super calculo nomen novum scriptum, quod nemo novit nisi qui accipit*,, Apoc. II. 17. Ad ECCLESIAM IN THYATIRIS,, *Qui vicerit & servaverit ad finem opera mea, illi dabo potestatem super gentes; & Stellam matutinam*,, Apoc. II. 26. 28. Ad ECCLESIAM IN SARDIBUS,, *Qui vicerit, eum faciam columnam in Templo Dei mei, & scribam super eum Nomen Dei, & nomen urbis Dei Novæ Hierosolymæ, quæ descendit e Cælo a Deo, & nomen meum novum*,, Apoc. III. 12. Ad ECCLESIAM IN LAUDICEA,, *Qui vicerit, illi dabo ut sedeat Mecum in Throno meo*,, Apoc. III. 21.

100. De Pugnibus illis, quæ sunt Tentationes, in specie actum videatur in DOCTRINA NOVÆ Hierosolymæ Londini Anno 1758, edita, a n. 187 ad 201: Unde & quales sunt, n. 196. 197. Quomodo & quando fiunt, n. 198. Quid boni efficiunt, n. 199. Quod Dominus pugnet pro homine, n. 200. De Pugnibus seu Tentationibus Domini, n. 201.

Quod homo debeat fugere mala ut peccata, & pugnare contra illa, sicut a se.

101. **E**x Divino Ordine est, ut homo ex Libero secundum Rationem agat, quoniam ex libero secundum rationem agere, est ex se agere. Verum binæ illæ Facultates, LIBERUM & RATIO, non sunt propriæ hominis, sed sunt Domini apud illum; & quatenus est homo, non ei auferuntur, quoniam absque illis non potest reformari; non enim potest pœnitentiam agere, non potest pugnare contra mala, & dein facere fructus dignos pœnitentia. Nunc quia Liberum & Ratio sunt homini a Domino, & homo ex illis agit, sequitur quod non agat ex se, sed sicut ex se. (a)

102. Dominus amat hominem, & vult habitare apud illum, nec potest amare illum & habitare apud illum, nisi recipiatur & reciproce ametur; inde & non aliunde est conjunctio: Dominus propter illam causam dedit homini Liberum & Rationem, Liberum cogitandi & volendi sicut a se, & Rationem secundum quam; amare aliquem & conjungi illi, cui non est reciprocum, non datur, nec intrare ad aliquem & manere apud quem non est receptio: quoniam receptio & reciprocum in homine sunt a Domino, ideo dicit Dominus, „*Manete in Me & Ego in vobis*„ Joh. XV. 4., „*Qui manet in Me, & Ego in illo, hic fert fructum multum*„ Joh. XV. 5., „*In die illo cognoscetis, quod vos in Me, & Ego in vobis*„ Joh. XIV. 20. Quod Dominus sit in veris & in bonis, quæ homo recipit, & sunt apud illum, etiam docet, „*Si manseritis in Me, & verba mea in vobis manserint. Si mandata mea servaveritis, manebitis in amore meo*„ Joh. XV. 7. 10., „*Qui habet præcepta mea & facit illa, ille amat Me, & Ego amabo illum, & apud illum habitabo*„ Joh. XIV. 21. 23; ita Dominus habitat in suo apud hominem, & homo in illis quæ a Domino sunt, ita in Domino.

103. Quoniam illud reciprocum & vicissim, & inde mutuum, est apud hominem a Domino, ideo dicit Dominus quod homo pœnitentiam aget; & nemo pœnitentiam potest agere nisi sicut a se; „*Jesus dixit, nisi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis*„ Luc. XIII. 3. 5., „*Jesus dixit, appropinquavit Regnum Dei, pœnitentiam agite, credite Evangelio*„ Marc. I. 14. 15., „*Jesus dixit, veni ad vocandum peccatores ad pœnitentiam*„ Luc. V. 32., „*Jesus dixit Ecclesiis, pœnitentiam agite*„ Apoc. II. 5. 16. 21. 22. Cap. III. 5. tum, „*Non pœnitentiam egerunt ex operibus suis*„ Apoc. XVI. 11.

104. Quo-



(a) Quod homini sit Liberum a Domino, videatur supra n. 19. 20; & in Opere de CÆLO ET INFERNIS, n. 589 ad 596, & n. 597 ad 603. Quid Liberum, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ Londini: 1758 edita, n. 141 ad 149.

104. Quoniam reciprocum & vicissim, & inde mutuum, est apud hominem a Domino, ideo dicit Dominus quod homo faciet præcepta, & faciet fructus., *Quid Me vocatis Domine, Domine, & non facitis quæ dico*, Luc. VI. 46 ad 49., *Si hæc scitis, beati estis si feceritis illa*, Joh. XIII. 37., *Amici mei estis; si feceritis quæ mando vobis*, Joh. XV. 14., *Qui facit & docet, hic magnus vocabitur in Regno cælorum*, Matth. V. 19., *Omnis qui audit verba mea & facit illa, comparabo viro prudenti*, Matth. VII. 24., *Facite fructus dignos pœnitentia*, Matth. III. 8., *Facite arborem bonam & fructum ejus bonum*, Matth. XII. 33., *Regnum dabitur Genti facienti fructus ejus*, Matth. XXI. 43., *Omnis arbor, quæ non facit fructus, excinditur, & in ignem conjicitur*, Matth. VII. 19.; & multoties alibi. Ex quibus patet, quod homo faciet a se, sed ex potentia Domini, quam imploret; & hoc est facere sicut ex se.

105. Quoniam illud reciprocum & vicissim, & inde mutuum, est apud hominem a Domino, ideo homo reddet rationem operum suorum, & illi retribuetur secundum illa; nam dicit Dominus, *Venturus est Filius hominis, & rediet unicuique secundum facta ejus*, Matth. XVI. 27., *Exibunt qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, & qui mala fecerunt in resurrectionem judicii*, Joh. V. 29., *Opera illorum sequuntur cum illis*, Apoc. XIV. 13., *Judicati sunt omnes secundum opera illorum*, Apoc. XX. 13., *Ecce venio, & merces mea Mecum, ut dem unicuique secundum ejus opus*, Apoc. XXII. 12. Si reciprocum non foret apud hominem, nulla imputatio esset.

106. Quoniam receptio & reciprocum sunt apud hominem, ideo Ecclesia docet, quod homo explorabit se, confitebitur sua peccata coram Deo, desistet ab illis, & novam vitam aget: quod omnis Ecclesia in Christiano orbe id doceat, videatur supra n. 3 ad 8.

107. Si non receptio ab homine foret, & tunc cogitatio sicut ab illo, nec aliquid dici potuisset de Fide, nam Fides nec est ab homine: alioquin foret homo sicut palea in vento, & staret sicut inanimatus, ore aperto & manibus remissis exspectans influxum, nihil cogitans & nihil agens in illis quæ salutis ejus sunt: est quidem nihil agens in illis, sed usque est reagens sicut a se

Sed hæc in adhuc clariorem lucem mittentur in Transactionibus de SAPIENTIA ANGLICA.

Quod si quis fugit mala ex quacunque alia causa, quam quia peccata sunt, non fugiat illa, sed modo faciat ut non appareant coram mundo.

108. **D**antur Morales homines, qui præcepta Secundæ Tabulæ Decalogi servant, non defraudant, non blasphemant, non vindicant, non adulterantur; & qui eorum apud se confirmant, quod talia sint mala, quia damna Republicæ, & sic contra humanitatis leges, illi etiam charitatem, sin-

ceritatem, justitiam, castitatem exercent. Sed si bona hæc faciunt, & mala illa fugiunt, solum quia mala sunt, & non simul quia peccata, illi usque mere naturales sunt, & apud mere naturales radix mali manet insita, & non est emota; quare bona quæ faciunt, non sunt bona, quia ab ipsis.

109. Moralis naturalis homo potest apparere coram hominibus in Mundo prorsus sicut Moralis spiritualis homo, sed non coram angelis in Cælo; coram angelis in Cælo apparet ille, si in bonis est, sicut simulachrum ex ligno, & si in veris est, sicut simulachrum ex marmore, in quibus non est vita; aliter Moralis spiritualis homo: nam Moralis naturalis homo est Moralis externus, & Moralis spiritualis homo est Moralis internus, & externum absque interno non vivit, vivit quidem sed non vitam quæ vocatur vita.

110. Concupiscentiæ mali, quæ faciunt interiora hominis a nativitate, non removentur nisi a Solo Domino, nam Dominus influit a spirituali in naturale, homo autem ex se a naturali in spirituale, & hic influxus est contra ordinem, & non operatur in concupiscentias & removet illas, sed includit illas, arctius & arctius sicut se confirmat: & quia hæreditarium malum sic latet inclusum, illud post mortem, dum homo fit spiritus, rumpit tegmen, quo in mundo obvelatum fuit, ac erumpit sicut sanies per ulcus modo exterius sanatum.

111. Sunt variæ & multiplices causæ, quæ faciunt, ut homo sit Moralis in externa forma, sed si non Moralis sit etiam in interna, usque tamen Moralis non est: ut pro exemplo; si quis abstinet ab Adulteriis & Scortationibus, ex timore legis civilis & ejus pænarum; ex timore jacturæ famæ & inde honoris; ex timore morborum ex illis; ex timore jurgiorum domi ab uxore, & inde intranquillitatis vitæ; ex timore vindictæ a marito, aut ab affini; ex egestate, aut ex avaritia; ex imbecillitate oriunda vel ex morbo, vel ex abusu, vel ex ætate, vel ex impotentia: imo si abstineat ab illis ex lege aliqua naturali aut morali, & non simul ex lege spirituali, is usque tamen interius adulter & scortator est, nihilominus enim credit quod non peccata sint, & inde illa coram Deo non illicita facit in suo spiritu, & sic in spiritu committit illa, tametsi non coram mundo in corpore: quare post mortem, cum fit spiritus, aperte loquitur pro illis. Ex his patet, quod fugere mala ut damna possit impius, at quod fugere mala ut peccata non possit nisi Christianus.

112. Simile est cum omnis generis furtis & defraudationibus; cum omnis generis homicidiis & vindictis; & cum omnis generis falsis testimoniis & mendaciis; nemo ab illis mundari & purificari potest a se; unicuique enim Concupiscentiæ insunt infinita, quæ homo non videt nisi sicut unum simplex, Dominus autem videt singularissima in omni serie. Verbo, homo non potest semet regenerare, hoc est, novum cor & novum spiritum in se formare, sed Solus Dominus, Qui est Ipse Reformator & Regenerator: quare si homo ex sua prudentia ac intelligentia vult se novum facere, est modo sicut faciei deformi inducere fucum, ac parti interiori tabe infectæ illinere smegma.

113. Idcirco dicit Dominus apud Matthæum „ *Pbarisæe cæce, purga prius interius poculi & patinæ, ut fiat etiam exterius mundum* „ XXIII. 26. Et apud

Esajam „ *Lavate vos, purificate vos, & removete malitiam operum vestrorum a coram Oculis Meis, cessate malum facere: & tunc si fuerint peccata vestra sicut cocinea, sicut nix albescent, si rubra fuerint sicut purpura, sicut lana erunt* „ I. 16. 18.

* * * * *

II 4. Supradictis adjicientur hæc. I. Quod Charitas Christiana fit cuique, ut suam functionem fideliter agat; sic enim, si fugit mala ut peccata, quotidie facit bona, & ipse est suus usus in communi corpore; sic etiam consulitur communi, & unicuique in particulari. II. Quod Reliqua non sint propria Charitatis opera, sed vel ejus Signa, vel Beneficia, vel Debita.

